



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

**Instrvctio R.P. Ignatii Balsamonis Societatis Iesu,
Theologi. De Perfectione Religiosa, Et De Vera Recte
Orandi & meditandi methodo**

Balsamo, Ignazio

Coloniæ Agrippinæ, 1612


[urn:nbn:de:hbz:466:1-48888](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48888)



Th. 2854.

A. III

2.





INSTRVCTIO
R. P. I G N A T I I
B A L S A M O N I S
S O C I E T A T I S
Iesu, Theologi.

DE P E R F E C T I O N E
R E L I G I O S A , E T
Lib. Coll. 502⁴ Iesu Paderborn. a. 1613
D E V E R A R E C T E O R A N D I
& meditando methodo.

I N G R A T I A M P E R F E C T I O N I S
*Et pietatis amantium, nunc recens
latinitate donata.*

Accedit Lib. Aureus de vera arte in-
seruiendi Deo.

F E R M I S S V S V P E R I O R V M .



COLONIE AGRIPPINÆ,
Apud Ioannem Kinckium, sub
Monocerote Anno M. D C. X I I .
Cum grat. & priuil. Sac. Cæs. Maiest.



LECTORI S.

Beneuole lector. Opuscu-
lum hoc ad instantiam
& preces quorundam pio-
rum hominum, religiosæ
perfectionis amantiū, com-
positum fuit. Quia verò dif-
ficile fuerit idem sæpius de-
scribere, atque multis com-
municare: Ex voluntate, &
Approbatione Superiorum,
in lucem dedimus; quò ante-
dictis, atque omnibus in pie-
tate, virtutibusque profe-
ctum facere cupientibus,
vsui esse possit. Vale
& fruire.

A 3 APPRO



APPROBATIO
DOCTORVM.

Nos subsignati Doctores in sacra
facultate Theologica Parisiensi,
notum facimus nos vidisse, legisse &
examinasse duos hosce Tractatus, ge-
minam cōplectentes instructionem, al-
teram, Religiosam perfectionem, alte-
ram, orandi & meditandi methodum
continentem : in quibus nihil sanctæ
Ecclesie Catholice, Apostolicæ & Ro-
manæ contrarium reperimus, sed om-
nia non tantum Religiosis, verum etiã
cuius hominũ statui utilissima, & ac-
commodatissima, offendimus. Id quod
testamur presentibus literis manu
propria subscriptis.

I. BLVNZI.

H. LE MAIRE.



DE RELIGIOSA
PERFECTIONE
PER BREVIS ET ACCU-
RATA INSTITVTIO.

QVI POTISSIMUM EX
SS. Patribus de monastica per-
fectione scripserint.



INTER SS. Patres, ali-
osq; eximia eruditio-
ne & vitæ integritate
viros, nonnulli extite-
runt, qui à Spiritu san-
cto & quotidiana ex-
perientia, de omnibus ad Religio-
sam vitam & perfectionem pertinē-
tibus, methodoq; illam acquiren-
di, abundè instructi: nam posteris
non tantum sermone tradiderunt,
verum etiam scriptis consignatam
reliquerunt.

PRIMUM igitur & generale do-
cumentū sit: Vt quisquis adipiscen-
dæ per-

B

dæ per-

DE PERFECTIONE

de perfectionis Religiosæ cupiditate flagrat, SS. Patrum aliorumque recentiorum, qui hanc materiã tractarunt, scripta & libros euoluat, illorumque præceptiones pro virili in opus conferre satagat. Quem in finem nos hoc loco breuiter, seruato antiquitatis ordine, eos qui de monastica vita scripserunt, commemorabimus: incipiendo à primis vsque ad nouissimos.

Part. 2.
parag.
186. lib.
de reformatione
mentis
cap. 2.

Abbas Agathon, (quemadmodum de illo in Vitis Patrum legimus, & S. Bonaventura in Tractatu suo ad nouitios refert:) cum ab adulescente quodam monasticam vitam amplecti cupiente interrogaretur, quomodo sibi in monasterio conuersandum esset, vt bonus Religiosus dici mereretur, respondit: *Vade & qualis eo die fueris, quo Religionem primum ingressus es, semper recordere, si u'q³ enitere, vt in eodem statu permanens.*

Quod perinde est ac si dixisset. Obuersetur omni tempore, mentis tuæ oculis primus seruator, & summa illa

illa animi demissio, quam primo conuersionis die ostenderis, & caue ne ab illa vel latum unguem recedas, & sanctam in Religione vitam traduces.

Apud Sanctos Patres Aegypti & Thebaidis, Cassiano referēte, commune fuit dictum hoc atque documentum. *Eum qui bonus Religiosus esse desideret, mutum, cecum ac surdum esse oportere.* Lib. 4^o
c. 14.

S. Basilius, & Cassianus paulò ante citatus qui sub S. Ioannis Chrysostomi disciplina monasticæ vitæ præcepta hausit, tam præclarè & copiose omnia, quæ ad vitam & perfectionē Religiosam pertinent scriptis complexi sunt, ut quisquis eorum libros legerit, vix alio Magistro opus habiturus sit, ad semitam perfectionis intelligendam. Hinc namque S. Dominicus legitur solitus fuisse Cassiani opera identidem euoluere; quem D. Thomas Aquinas, eodem spiritu agente, secutus fuit, quæ lectio non parum illis ad perfectionis culmen apprehendendum profuit. In vitis
illorum
apud S.
Ieronymum.

B 2 Ioan.

† DE PERFECTIÖNE

Ioannes Clymachus Abbas montis Synai, singularis sanctimonie vir, ad alterius cuiusdam Abbatis petitionem librum composuit, cui titulum fecit, *Scalam Paradisi*, triginta virtutum gradus ad Religiosum quemlibet spectantes, completentem; quibus totam perfectionis monasticæ seriem accuratè persecutus est.

S. Hieronymus scripsit, *de institutione Monachi* binas epistolas: quarum vnam ad Monachum quendam Gallum, Rusticum nomine: alteram ad Italum, cui Paulinus nomen erat, direxit: in quibus methodū & præcepta benè viuendi, omnibus Religiosis præscripsit.

S. Bernardus Abbas Claræuallensis, cum à monacho quodam rogatus esset, vt illi normam in monasterio viuendi traderet: tractatulum illū conscripsit, cui titulus est: *Formula honestæ vitæ*: in quo & binis alijs eidem adiunctis, quorum hi sunt tituli: *Eiusdem rei notabile documentum. Et Speculum Monachorum*, omnia quæ

quæ à Religiosis desiderari possint continentur. Et verò quanquam de binis posterioribus tractatibus iure dubitari possit, an S. Bernardum auctorem habeant, nihilominus doctrina in illis comprehensa, ex S. Bernardi operibus desumpta est, ac Religiosis apprime congruit.

Idem quoque alium valde elegantem tractatū *de vita solitaria, ad fratres de monte Dei*, Cartusiani instituti Monachos, dictavit, in quo, sub persona Nouitij, Religiosos omnes informat, quid eis factu opus sit, ut professionis suæ scopum apprehendant. Præterea in libro, cui titulum fecit: *Scala claustralium*: ubi tractat de modo orandi ac meditandi: & in altero *De domo interiori*, quæ est conscientia vniuscuiusque, Religiosi copiosam inuenient messem documentorum non vulgarium, quibus instructi, ad status sui perfectionem faciliori negotio pertingere queant.

Humbertus post S. Dominicum, quintus eiusdem Ordinis, generalis moderator, librum scripsit, *De eru-*

DE PERFECTIONE

ditione Religiosorum, quo omnia ad Religiosam vitam spectantia accuratè complexus est.

S. Thomas de Aquino rogatu Monachi cuiusdam Scholastici, Epistolam exaravit, in qua paucis præceptis methodum, non modò scientias humanas, verum etiam sapientiam & perfectionem spiritualem acquirèdi tradit. Quam nos ad finem tractatuli huius adijciemus.

Iam verò S. Bonaventura in libris, quos *de Reformatione mentis* ad Novitiorum instructionem composuit: & omnes qui de eadem re aliquid commentati sunt, ut Hugo de S. Victore, Dionys. Cartusianus & alij, quid aliud egerunt, quam ut bonum formarent Religiosum? Etenim præcepta & documenta quæ Novitijs tradunt, omnibus monasticæ vitæ professoribus congruunt. non aliter atque pueris præcepta Catonis, idcirco à prima pueritia ediscenda proponuntur, ut ea per totam vitam in opus conferre studeant.

S. Vincentius Ordinis S. Domini
nici

nici, rogatus ab aliquo confratrum suorum, breuē tractatulum *de vita spirituali* conscripsit, verè aureū: in quo de spiritualis, id est Religiosæ vitæ perfectione, & methodo eam acquirendi, non modò compendiosè, verumetiam elegāter & accuratè differit.

Non ita pridem, quidam, vt reor, natione Hispanus, vir illuminatissimus, & semitarū spiritualis ac Religiosæ vitæ non ignarus, qui ex humilitate nomen suum subticuit libellum quendam sub nomine *Desiderij* materno idiomate edidit, qui postea in Latinam linguam à R. P. Laurentio Surio Cartusiano cōuersus, ab eodem sub titulo *Compendij veræ salutis*, editus fuit: Hic libellus mole quidem exiguus, at vtilitate magnus, nunquam satis laudari & commendari potuit, tam eleganter, sub similitudinibus quibusdam, vniuersam Religiosæ vitæ perfectionē, atque ab infimis ad summa progressionem docet: ideoque Religiosis omnibus mirificè congruit.

3 DE PERFECTIONE

Paucis præterea ab hinc annis
prodiit Praxis spiritualis Italæ cu-
iusdam Virginis in ciuitate Cremon-
nensi, monasticam professæ : quæ à
Magistro spirituali optimis præce-
ptoribus imbuta, totam viuendi me-
thodum scriptis consignauit, & qui-
bus exercitijs singulos dies & horas
transigere solita fuerit, exposuit: qui
libellus Religiosis vitam professio-
ni suæ consentaneam ducere, atque
in uocatione sua non regredi, sed
progredi uolentibus, accommoda-
tissimus est.

Tomo 5. Extat quoque Tractatus S. Ioannis
Chrysoctomi, *De comparatione Regis
& Monachi*, in quo cum monachum
& Regem inter se contulisset, illum
huic anteferendum esse demon-
strat.

Editum deniq; est, non ante mul-
tos annos insigne opus Hieronymi
Plati, *De bono status Religiosi*: quo (si-
cut etiam in priori tractatulo) licet
non præscribatur Religiosis uiuen-
di methodus, nec doceatur, quid il-
li faciendum sit, ut bonus Religio-
sus

sus esse ac vocationis suæ scopum apprehendere habeat: ostenditur nihilominus eleganter, excellentia, status ipsius, & eximia, quæ DEVS homini per Religiosam vocationē confert beneficia, vt hinc statum suum magni æstimari discat.

Nomina Religiosi.

QVANDO QUIDEM nomina eum in finem rebus imposita sunt, vt ex illis naturæ & proprietates earum cognoscerentur: ita Religiosi varijs appellati fuere nominibus, ex quibus nullo negotio intelligi potest, qualis Religiosus esse & quid facere debeat, vt verum Religiosum re & nomine ostendat, vocationique suæ satisfaciatur, nos hoc loco ea breuiter exponemus, vt quilibet ea secum diligenter expendere & ex ijs non nihil ad profectum suū emolumentum capere valeat. Sunt igitur quinque nomina illius Græca, & duo Latina: quæ singula explicabimus.

I. Religiosus appellatur *θεοπύστης*.

B S

id est,

10 DE PERFECIONE

id est, *Cultor*, quia totum se DEI ser-
uitio addicit, animumque suum dili-
genter excolit. *Dionys. c. 6. Eccles. hie-
rarch. Philo de vita contemplatiua.*

2. Ασχητός. id est, *Pugil, exercitator*,
eum quia in actionibus vitæ actiuæ
& contemplatiuæ omni tempore se
exercent: tum quia virtutes acquire-
re & vitia profligare studet: tum quia
cum hostibus humani generis conti-
nuum certamen gerit. Hinc est quod
S. Basilius sermones & tractatus su-
os, quibus Religiosos instruit, *Asceti-
ca*, id est, exercitatoria inscripserit.

3. Ιχθυήρ, id est, *Supplex*, eo quod pro-
prium & principale Monachi munus
sit orare & contemplari. *Philo. de vita
contemplat. Supplicum. Contra repre-
hensores vitæ monast.*

4. φιλόσοφος, id est, *amator sapientie*,
Quo nomine S. Chrysostronus in tra-
ctatu quem pro defensione Religio-
sorum scripsit, illos frequenter ap-
pellat. Abbas quoque Nilus librum su-
um de vita monastica, Philosophiam
Christianam inscripsit. Et rectè Phi-
losophorum nomine Religiosi nun-
cupan-

cupantur, quia in modo viuendi, veteres Philosophos nobis repræsentant, tū quia cuncta deserunt & contemnunt, vt sapientiæ studijs vacent: tum quia austerrimam vitam traducunt.

5. Μόναχος, id est, *solitarius*. Qua appellatione omnes SS. Patres tam Græci, quam Latini, velut nomine proprio Religiosos signant: partim quia mundo nuncium mittunt, & ab alijs se abstrahunt, vt solitariam vitam agant: partim quia coniuncti viuunt: partim quia soli DEO vacāt. Hieron. ad Heliod. Aug. in Psal. 152. Dionys. Eccl. Hierarch. cap. 6. Cass. col. 18. cap. 5.

Latinè appellantur, *Religiosi*, & *Regulares* Religiosus namque denotat hominem deuotum, pium, & inclinatum ad Dei seruitium: atque respondet verbo Græco θρησκευτῆρ. Regulares nominantur, quia viuūt, aut certè viuere deberent, iuxta regulam sui Ordinis. Nuncupantur nonnunquā *Claustales* & *canobita*, sed hæc duo nomina hoc tempore parum in vsu sunt.

Quisquis igitur bonus ac verus Religiosus esse desiderat, opus est vt crebrò nomen suum, & omnia supradicta nomina secum reuoluat, & talis, qualem nomina hæc flagitant, esse totis viribus contendat. Documentum hoc S. Hieronymi est, quod speciatim Religiosis, & Ecclesiarum ministris dare cõsueuerat: vt in Epistola, ad Heliodorum, (De vita solitaria:) vbi sic ait. *Quid facis in turba, qui solus es, interpretare vocabulum Monachi.* Et in epistola ad Rusticum monachum *Si cupis, inquit, esse quod diceris, Monachus, id est solus, quid facis in vrbibus, que vtique non sunt solorum habitacula sed multorum.*

Et in Epistola ad Nepotianum, (de vita clericorum) inquit: *Clericus interpretatur vocabulũ suũ, vt nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim κληρικός græce, fors latinè appellatur, propterea vocatur clericus, vel quia de sorte sũt Domini, vel quia ipse dominus fors, id est, pars clericorũ est. Qui autem vel ipse pars domini est, vel dominum partem habet, talem se exhibe-*

*exhibere debet, vt & ipse possideat
Dominum, & possideatur à Domino.*

Ex his quæ præcedentibus duobus articulis dicta sunt, Religiosus quisque intelligere potest, quod illius officium ac munus sit, quidque ipsum facere oporteat, vt boni religiosi nomen gerat: nimirum, vt ea omnia quæ à sanctis viris de Religiosorum moribus dicta & scripta fuerunt, quæque propria illius nomina significant, perficere & obseruare laboret. Quod quanquam ei instar omnium præceptionum esse possit: attamen operæ præmium me facturum arbitratu sum, si paulò distinctius & apertius documeta, quæ illi scitu & obseruatu necessaria sunt, si ad finem vocationis suæ pertingere, id est vitam sanctam & perfectam ducere velit, traderim.

DECEM DOCUMENTA AD
Religiosam perfectionem acquirendam necessaria.

I. DOCUMENTVM.

B 7

Reli.

*Religiosum vocationem suam magni
æstimare debere.*

P R I M V M ergo documentum sit:
Religioso maximi pendendam
esse vocationem suam: id est religi-
osum illum ordinem ad quem à Deo
vocatus fuit, vt nimirum eum tener-
rimè diligit, & super omnes alios in
corde efferat (quamuis cauendum sit
ne in congressu & sermone cum ali-
js, cæteris eum præferat:) atque be-
neficium vocationis suæ pluris æsti-
met, quam alia omnia, quibus eum
Deus ornauit. Nam parum aut nihil
profuissent ei beneficia Creationis,
Redemptionis, &c. si in seculari statu
mansisset. Documentum hoc idcir-
co primo loco traditum est, tanquam
cæterorum fundamētum, quia quā-
tò religiosus vocationem suam cha-
riorem habuerit, tanto illi melius
atque feruētius satisfaciet: in omni
virtute amplius proficiet, atque in
ea ad finem vsque perseuerabit. Cō-
tra vero, qui ad institutum suum non
adeo valdè affecti sunt, parum pro-
ficiunt

ficiunt, & facillimè à vocatione sua, uti quotidiana cernimus experientia, excidūt. Ad hoc autem duo præcipuè producant: primum, legere frequenter, elegantissimam S. Bernardi Homiliam, quam *de margarita pretiosa* conscripsit, in qua demonstrat, margaritam hanc esse Religionem, & alium eiusdem sancti viri sermonem, *Contra pessimum vitium ingratitudeis*. Et Hieronymi Platī librum, *de bono status Religiosi*, non ita pridem in lucem editum, quo scitissimè Religiosorum fælicitatem & commoda depingit. Deinde, crebro secum reuoluere magnitudinem & excellentiam beneficij vocationis, illudque omni die & hora corde circumferre, & incessanter Deo gratias ex totis visceribus pro tanta gratia & fauore agere, atque corde simul & ore concinere illud *Psalm. 147*
Non fecit taliter omni nationi. Etenim nihil adeo displicet diuino numini, quam hæc Religiosorum ingratitude, quemadmodum S. Bernard. testatur dicens. *Nihil ita displicet*

Serm. de se-
ptem miseri-
cordijs.

plicet Deo, præsertim in filijs gratia, in
hominibus conuersionis, quemadmodũ
ingratitude: vias enim obstruit gratia,
& vbi fuerit illa, iam gratia locum non
habet, accessum non inuenit. Peremp-
toria res est ingratitude, hostis gratia,
inimica salutis. Multa quoque alia in
hanc sententiam scribit in sermo.
paulo ante allegato. Contra vitium
ingritudinis. Quæ autem Religioso
consideranda sint, vt beneficium vo-
cationis suæ cognoscat, sub finem
huius tractatuli, inter consideratio-
nes Religioso proprias dicamus.

DOCUMENT. II.

*Religiosus debet pietati atque deuoti-
oni addictissimus esse.*

SECUNDVM Documentum sit:
Religiosum debere maximè ad-
dictum esse deuotioni, id est, oratio-
ni, contemplationi, conscientia dis-
cussioni, Sacramentorum frequen-
tationi, & Lectioni spirituali: hæc e-
nim omnia complectitur verbum,
Deuotio. Opus est igitur, vt talem ha-
beat

beat inclinationem & amorem ad spiritualia, vt, quantum in ipso est, nihil aliud facere desideret, quam prædictis deuotionis exercitijs incumbere. De quibus aliquantò particularius differam.

Quoad Orationem, debet eniti, vt dictum illud Saluatoris adimpleat. *Oportet semper orare & non deficere.* *Luca. 18.*
 Et illud S. Pauli. *Nostra autem cõuersatio in celis est:* Idque per frequentem vsum orationum iaculatoriarũ, id est, eleuationum & suspiriorum spiritus, atque breuium orationum vocalium, quales esse possunt: *Deus in adiutorium meum intende: & alia* *Psal. 49.*
 similes, tota animi contentione laborãdo, vt indies familiarior reddatur Deo Creatori suo, Beatiss. Virg. **MARIAE**, & speciatim S. Angelo tutelari, quem Deus illi dedit, vt ab eo adiuuaretur, dirigeretur, ac perficeretur. Est certè ingēs ingratitude, & fidei imbecillitas atque defectus, quod tam male vtamur singulari & eximio hoc beneficio, quo cœleste numen nos decorauit: cuius quicun-
 que

que rationē habuerit, re ipsa experi-
 etur, se mirum in modum indies ad-
 iuuari, fauore atq; auxilio cœlestis
 huius Spiritus, qui licet omni tēpo-
 re Deum facie ad faciem intueatur,
 non desinit tamen oculos in hominē
 fidei commissum conijcere, non ali-
 ter atque pædagogus aliquis pueri
 sibi traditi, curam incessanter gerit:
 verum Angelus tutelaris id multo
 maiori cum charitate & diligentia
 præstat. Sed quæres, quid tibi facien-
 dum sit, vt beneficij huius rationem
 habeas? Consuescas Angeli custodis
 tui in omni loco meminisse, illum q;
 ingrediens, & egrediens, stās, & se-
 dens, præ oculis habere, ac recorda-
 ri, eum tibi præsentem adesse, lateri
 tuo adhærere, nec vnquam te desere-
 re, licet eum oculis corporeis haud-
 quaquam intuearis: ideoque magnā
 illi & reuerentiam & venerationem
 iatrinsecus exhibebis, multò maio-
 iorem quam si in cōspectu Cardina-
 lis alicuius consisteres: illum omni
 hora supplex rogabis, vt tibi assiste-
 re atque opem ferre dignetur, firma
 c once-

concepta fiducia, quod nihil tam magnum sit, quod per illius intercessionem, cui voluntas, & potestas te adiuuandi concessa est, impetrare non valeas: veniam quoque frequenter & humillimè precaberis, de omni tua ingratitude & offensis, quibus eum hactenus irritasti, quandoquidè post DEVM nulli tantoperè obligatus es, quam fidelissimo huic Angelo tutelari. Ut autem frequentius illius meminisse queas orationem de S. Angelo custode, quæ incipit: *Angele Dei qui custos est mei, &c.* identidem in ore & corde habebis, etiamsi id fiat duobus tantum primis verbis.

Lege hac de re S. August. *Soliloquia* cap. 17. & S. Bernard. serm. 12. *in Psalmum, Qui habitat.* Meditationes quoque alias de S. Angelo custode consule, ut aliquando eas cum animo tuo versare & reuoluere possis.

Porro cum perseverantia in Religioso statu, & bonis incaptis, sit donum DEI (teste D. Augustino,
CUI

*Ludow.
de Ponte
parte 6.
medit. 34*

cui omnes alij Theologi astipulantur) & præter hominis debitam cooperationem, speciale quoque auxilium & cælestem opem requirat, Religiosus quisque inter quotidiana deuotionis exercitia hoc quoq; ponet, & hanc perseuerantiam instantissimis à DEO precibus sibi & alijs poscat. Atque ne illius obliuiscatur, hanc orationem frequentare, vel vt minimum semel in die recitare consuescet.

Oratio Religiosorum propria ad postulandam perseuerantiam.

DEVUS qui nos à seculi vanitate conuersos ad brauiũ superna uocationis accedis, pectorib⁹ nostris purificadis illabere, & gratiã nobis qui in te perseueramus infunde, vt protectionis tue muniti presidijs, quod te donante promissimus, impleamus, & nostra professionis executores effecti, ad ea quæ perseuerantibus in te, promittere dignatus est, pertingamus. Per Dominum &c.

Conside.

Consideratio siue contemplatio.

AD contemplationem siue meditationem quod attinet, Religiosus debet esse ei addictissimus, tanquam matri & nutrici virtutum, atque bonorum omnium spiritualium. *Desolatione* inquit Propheta Ieremias, *desolata est omnis terra: quia nullus est qui recogitet corde.* Præcipuus namque finis propter quem homo conditus atque in hoc mundo constitutus fuit, est considerationi operum diuinorum intendere.

Ierem. 12.

Eadem consideratio est proprium religiosi officium, qui ut huic vni rei vacaret, domum paternam, & seculum integrè reliquit. Quæ autem religioso sint maximè consideranda in fine huius tractatuli annotabimus.

Examen conscientie.

AD examen conscientie quod spectat, duo illi facienda sũt. Primum: omni die priusquam ad lectum se conferat vel somnum ineat, totius diei à se rationem exiget, cõ-
fide-

siderando quomodo obligationi suę
 in diuino seruitio satisfecerit, qui-
 bus in rebus singulas diei horas con-
 sumperit, & si quid minus rectè, aut
 etiam perperam factū repererit, il-
 lius veniam à Deo flagitabit, cum
 vero & ardenti desiderio eadē quo-
 tidie diuina gratia opitulante perfe-
 ctius exequēdi, atq; idcirco singulis
 diebus postquam expergefactus fue-
 rit, proponet in corde suo cuncta
 quę status obligatio à se requirit,
 multo accuratius quàm vnquā antea
 perficere. Etenim experiētia nos edo-
 cet, duo hæc vnicuiq; vtilissima esse;
 summo mane proponere, & sub ves-
 perā totius diei à se rationē poscere.

Recollectio sui ipsius.

Alterum quod breui compendio
 hominem ad perfectionis cul-
 men ducit, est: sæpenumero seipsum
 recolligere, receptui canere, & ani-
 mæ thalamū post singulas horas aut
 certè post binas, pro vt negotia per-
 milerint ingredi, ibiq; coram diui-
 na præsentia imaginationis benefi-
 cio se constituere, & vnum animæ o-
 culum

culum ad horam præteritam, alterū verò ad proximè sequentem conuertere, & tria hæc breuiter facere.

1. Gratias agere Deo qui tibi vitam donauit.

2. Veniam ab illo postulare pro defectibus eadem hora admissis, eaque non satis vtiliter expensa.

3. Proponere & gratiam petere pro hora proximè sequenti accuratius & fructuosius expendenda. O beatum illum & ter quaterq; beatum qui animum ad sanctum hoc exercitium applicauerit: per illud enim in continua quadam deuotione conseruabitur, atque ad magnā cū Deo familiaritatem pertinet, in quo tota hominis perfectio consistit; Sed requirit magnam de semetipso diffidentiam, atq; in Deo confidentiam, nec nō firmum propositum & continuatiōnem exercitij huius vsque ad vltimū vitæ diem.

Sacramenta.

Quo ad sacramentorū vsum, sepe numero cōfessione animū perpurgarē, & sacra cōmuniōne reficere debet
idque

idq; summa cū deuotione & præparatione ante illā, & gratiarum actione post eam. Huc pertinet quotidiana sacrificij missæ auscultatio, vel celebratio, quam sine legitimo impedimento nūquam intermitteret, sed summa, qua fieri potest, cum reuerētia & deuotione peraget.

LECTIO SPIRITUALIS.

Quo ad spiritualem lectionem, sit librorum spiritualium nō minus feruens amator, quā orationis: & tales legat, qui statui & vocationi suæ sint, quā maximè accommodati, & ad perfectionem assequēdam utiles: congruūt autem religiosis omnibus generatim post Sacras Literas, quas religiosus nunquam de manibus suis deponere debet, hi maximè libri.

Sancti Basilij Ascetica.

S. Bernardi Abbatis opera.

S. Bonanenturae opuscula minorā.

Tractatus S. Vincentij de vita spirituali.

Collationes Cassiani.

Scala Climachi.

Vita Sanctorum Patrum.

Vita

Vite Sanctorum Lipomani & Suri.
Opera minora Ioannis Lanspergij
Cartusiani.

Dyonysius Cartus. de Quatuor no-
uissimis; de institutione nouitiorum; de
profectu religiosorum; de vita solita-
ria, & alia ex opusculis eius minoribus
complura.

Thomæ de Kempis opera spiritua-
lia, maximè libellus de imitatione
Christi.

Trithemij Abbatis opera spiritualia.

Ascensus in coelum, seu spirituale
monasterium R. P. Adriani de Vvitte
è Soc. Iesu.

Humbertus de eruditione religioso-
rum.

R. P. Ioannis David è Soc. Iesu La-
pis Lydius seu spiritualium deliciarum
hortulus, anima ad perfectionem con-
tendentis. Agalma religiosorum Guilli-
elmi Comitæ Holland. &c.

Iulius Facius de mortificatione.

Platus de bono status Religiosi.

Praxis spiritualis cuiusdam itale
virginis.

Et alij multi, non modò Religioſis, ſed omnibus quoque alijs Chriſti fidelibus accommodati. vti ſunt *Meditationes & confeſſiones B. Auguſtini Opus Meditat. R. P. Ludouici de Ponte è Soc. Jeſu. Innocent. III. de contemptu mundi. Opera Ludouici Granatenſis, & alij quorum mentio fiet in ſequenti tractatulo de oratione mentis. cap. 12.*

DOCUMENT. III.

Religioſum virtutis & perfectionis amator em eſſe debere.

TERTIVM ſic: Religioſum virtutes & perfectionē diligere, illiusque acquirendæ ingenti cupiditate flagrare debere. Quod vt fiat, duo illi pot iſſimum faciendæ ſunt. Primū eſt: omni tempore in perfectione religioſa proficere, atq; in charitate, humilitate, patientia, cæterisq; virtutibus crefcere contendet: quemadmodum bonus ſtudioſus quotidie in doctrina progreſſum aliquem facere ſatagit. Nam Religioſo dictum fuit:

Si vis

Si vis perfectus esse &c. ex quo sequitur illum ex professione & vocatione sua obligatum esse, tendere totis viribus ad perfectionem, licet non apprehendere. Hinc est, quod S. Thomas & S. Bernardus religionem appellant *scholam virtutum*. Et idem S. Bernardus dicit: *In via Domini non proficere, est deficere*. Qui in alio quoque loco affirmat, veram virtutem nescire finem, nec esse limitibus vllis circumscriptam, & hominem iustum nunquam dicere sufficit, sed semper iustiores ac virtuosiores esse desiderare Religiosus ergo imitari studebit S. Paulum Apostolum, qui, ut de semetipso testatur, *eorum qua retro sunt obliuiscens, ad ea qua sunt priora se extendebat*: id est magno quodam animi desiderio, indies se ipso melior esse satagebat, & praeclariora quaedam ad Dei honorem atque seruitium moliri: ita quoque Religiosus perfectionem toto animo desiderare, & pro illius acquisitione desudare debet: nam perfectio sine desiderio ac diligentia haudquaquam acqui-

Matt. 19

2. 22. qu.

186. art.

2. Hom.

de margarita.

Serm. 2.

de Purificat.

Epist. 253

Philip. 3.

ritur. Debet quoq; Religiosus laborare, vt in propria vocatione sua perfectus fiat, vt si Franciscanus sit, perfectus Franciscanus: si Cartusianus, perfectus Cartusianus esse sataget: idem esto iudiciũ de alijs. Ad hæc autem assequenda, duo ista non parum momenti adferent.

1. Considerare diligenter beneficium vocationis.

2. Vitam fundatoris identidem legere ac relegere, illiusque vitam ac mores quo ad fieri potest, exprimere. Ea enim est Dei voluntas, qui propterea alium ad hanc, alium ad aliã religionem vocat.

Alterum est, vt nouerit methodũ virtutes acquirendi: id enim ex eo consequitur, quia huic virtutum studio incumbere, & ad earum consecutionem omne suum studium conferre tenetur: quod nunquam facere quibit, si methodum quã eadem virtutes acquiruntur, ignoret. Methodus hæc sub finẽ huius tractatuli adiungetur.

DO.

DOCUMENTVM IIII.

*Religiosum debere esse exactū votorū
& regularum suarum obseruatorē.*

QUARTVM fit. Religiosum ad votorum & regularum Ordinis sui obseruationem, omne suum studium debere conferre. Primum igitur danda ei erit opera, vt vota & promissiones, quibus Deo se obligauit, nimirum, paupertatem, castitatem, & obedientiam perfectè adimpleat. Etenim horum transgressio & *stulta atq; infidelis promissio*, vti sapiens ait, *deo displicet*, illumque graui-
ter offendit. Quin & sacri doctores *Eccl. 5.* affirmant, sicut anima est vita hominis: ita vitam & essentiam Religiosi hominis esse tria vota; ad quorū integram obseruationem tria hæc non parum illi proderunt.

1. Petere indies gratiam à Deo ea fideliter implendi.
2. Quotidie se super his examinare: nū videlicet aliquid paupertati, castitati, vel obedientiæ contrarium admiserit.

3. Sæpenumerò vota renouare, singulis videlicet diebus Dominicis post sacram communionem. Methodus id agendi in postremo documēto tradetur.

Ad regulas quod attinet, debet illas omnes integrè obseruare, tam eas quæ sunt communes cunctis, quàm officij sui particulares, cum cæteris statutis & constitutionibus; idque.

Primùm propter amorè Dei, qui illas cōdidit, dū videlicet eas fundatori, Patribusq; generalium congregationū inspirauit, atque per illas factam voluntatem suam, quidque à quolibet Religioso requirat, manifestauit.

2. Propter suum profectum vel detrimentum: nam in eo consistit salus & perfectio ipsius: & fieri nequit, ut Religiosus salutem, ne dicam perfectionē vnquam adipiscatur, si regulas suas exactè non seruet. Maximè cum regularum obseruatio Religiosum ad perfectionem ducat, illiusque merita coram Deo vehementer augeat.

3. Pro-

3. Propter religionem & próximos: quia ex regularum transgressione proximi non parū scandalizantur & religio funditus euertitur: quæ admodū è cōtrario ex regularū obseruatione Religiones conseruātur & proximi maiorem in modum ædificantur. Hanc diligentiam in regulis obseruandis vt Religiosus assequatur quinque hæc faciet.

1. Habebit eas omni tempore penes se, si non impressas, saltem manu sua descriptas, ad quod laboris aliquid impendet.

2. Frequenter illas leget ac releget, easque hac ratione sibi familiares efficiet.

3. Studebit illas intelligere, & si aliquod dubiū in illis occurrat, Superiorem suum aut Patrem spiritua-lem consulat: nam ignorantia in rebus, quæ quis scire obligatur, non excusat.

4. Singulis mensibus vel omnes vel aliquam illarum partem meditatione percurret: præcipuas verò & quæ maioris momēti sunt, sæpius in me-

ditionem assumet. Methodus id agendi in fine huius libelli tradetur. 5. Plurimum quoque iuvat quolibet mense à superiore facultatem petere poenitentiam aliquam, partim secretam, partim publicam agendi pro defectibus, in regularum obseruatione commissis.

DOCUMENT. V.

Religiosum esse debere poenitentia & mortificationis amicum.

QVINTVM sit: Religioso carã esse debere, poenitentiam, & mortificationem tanquam statui suo maximè propriam & conuenientè, quæque hominem ad perfectionis culmen facilius euehat. Hinc namq; videmus per experientiam Religiosos, qui poenitentia & mortificationis amici non sunt, in via spirituali vix quicquam proficere, sed imperfectionibus plenos remanere. Poenitentia verò duplex est: Intrinsicca, & extrinsicca. Intrinsicca est cõtritio & dolor de peccatis: quæ quã pro-

propria fit Religioso S. Hieronymus his verbis docet: *Monachus, inquit, non docentis sed plangentis habet officium, qui sua & aliorum peccata defleat.*

Aduersus Vigilant iuxta finē.

Extrinseca est castigatio corporis, quæ quadrifariam exerceri potest. Primò in manducando & bibendo; idque vel quoad quantitatem videlicet, si ieiunijs aut ciborum abstinentijs se maceret: vel quo ad qualitatem, si nimirum nonnulla cibariorum genera, quæ cæteris delicatiora, & ad nostræ sustentationem haudquaquam necessaria semetipsū priuet. 2. In dormiendo: idque si vigilias ultra morem protrahat vel duro stratu utatur. 3. In vestimentorum vilitate & asperitate. 4. In afflictione corporis per disciplinas, cilicia, cingulos ferreos, aliaque huiusmodi carni dolorem adferentia. Religiosus has poenitēcias assumere potest triplici ratione. Primum ex constitutione regulæ. Deinde ex impositione superioris propter defectus commissos, vel ad profectū spi-

Cap. de
obserua
tione
Quadra
ges.

Sermone
de S. An
draa.

ritualem. Tertio ex deuotione & libera voluntate, semper tamen cum approbatione Superioris & non aliter. Nam vt S. Benedictus in regula sua inquit: *Facere pœnitentiam aliquam sine patris sui spiritualis permissione, presumptio est, non meritum*, quod idem est ac si diceret: talem Religiosum Deum offendere, tantum abest vt meritum aliquod sibi congreget. Confirmat hoc ipsum S. Bernardus in sermone quodã vbi dicit. In carnis maceratione tria esse obseruanda, videlicet vt cum superioris facultate fiat; & eãdem S. Benedicti rationem adfert: deinde vt quam fieri potest secretissimè, ad euitandam vanam gloriam: demum vt discretè, ne sanitati detrimentum aliquod adferatur.

Quod si superior meus à pœnitentiã aliqua, quam pro mea deuotione & profectu spirituali facere desiderarem, aut ab aliqua earum quæ per regulam iubentur, assumenda me prohibet, certò mihi persuadere debeo Deum ita velle, meque illam o-

mitten.

mittendo plurimum mereri: contra verò agendo Deum grauius offendere: quia scriptum est: *Melior est obedientia, quam victima.* 1. Reg. 15.

Mortificatio quoque duplex est, vna exterior, qualis est sensuum & linguæ mortificatio: altera interior, cuiusmodi est passionum internarum, voluntatis & iudicij refræntatio.

Omnes hæ mortificationes Religioso curæ esse debent, si vitam verè Religiosam, & professioni suæ consentaneam ducere desiderat. Opus est igitur vt eximia cum diligentia sensuum portas custodiat, & filij exactus sit obseruator. Hinc enim est, quod SS. Patres dicere soliti fuerunt, eum qui bonus Religiosus esse desideret, cæcum, surdum, & mutum esse debere, quemadmodum superius primo articulo dictum fuit.

Necessarium præterea est, vt nihil de propria voluntate & iudicio recedat in his quæ ad obedientiam pertinent, vtque extrinsecam pacem non aliter conseruet, ac si vita fun-

ctus esset: omniq̄ue tempore maxime circa aliorum actiones, tritum illud in ore habeat, *Nihil ad me: vti pulchrè docet Compendium veræ salutis.*

DOCUMENTVM VI.

Religiosum erga omnes homines ita se gerere debere, vt vnicuique quod suum est, tribuat.

QVandoquidem iustitiæ summa in eo consistit, vt vnicuique quod suum est, tribuatur: qui quis iusti hominis, & boni Religiosi nomē habere desiderat, necesse est vt sex personarum generibus hoc debitum reddat, seque erga omnes ita gerat vt oportet.

1. Deo igitur satisfaciet, si se totum illi donauerit per obedientiã, amorē ac familiaritatem continuam: si nihil præter Deum ad cor admiserit: si omni tempore atque omnibus in rebus illius honorem, & sanctissimæ voluntatis eius ad impletionem quaesierit ac desiderauerit: denique vt

pau.

paucis cætera complectar, si ita vixerit, quasi in mundo præter ipsum & Deum nemo existeret.

2. Erga superiores se habebit, ut filius erga patrem: quapropter tenerrimo eos amore complectetur, honore afficiet, iussionibus eorum promptè obtemperabit, auxilium quando poterit libens præstabit, ac denique non ut homines erroribus atque imperfectionibus obnoxios, verum ut Dei, cuius locum obtinent, vicarios, internis fidei oculis respiciet.

3. Erga Religionem quam professus est, nõ aliter se geret, atque erga matrem, utpote à qua accepit, & indies accipit esse, vitam & alimentum spirituale: ideoque quatuor hæc quæ filius matri debet, ei quoque exhibere contendet; amorem, honorem, obedientiam, atque auxilium. Quapropter vnicè eum diliget atque magnæ estimabit in corde suo, & indies Deum omnipotentem, pro illius conseruatione atque augmento deuotissimis precibus orabit: omni quoque studio, quantum quidè præstare poterit,

terit, eam promouere & adiuuare contendet.

4. Erga æquales & fratres, fraternū & ipse animū induet, in omni amore, humilitate, & concordia, atque totis tum animi tum corporis viribus enitetur, vt eorum salutem partim bono exemplo, partim precibus ac pijs colloquijs, alijsque modis possibilibus promoueat.

5. Erga extraneos, fideles & infideles, laicos & Ecclesiasticos, ita se geret, vt omnium salutem & perfectionem æqualiter desideret, atque ad eam, quantum poterit, procurandam, quotidianis precibus ad Deum pro illorum salute fufis, aut alijs modis instituto, & vocationi suæ cōsentaneis, cooperetur.

6. Ad extremum sibi metipfi debet disciplinam, & diligentissimam animæ & corporis moderationem, vt vtrique quod suum est ritè dispense. Animæ namq; omnis religiosus debet hæc quatuor: Sacramenta, orationem siue contemplationem, conscientię examen, & Dei verbū lectū
siue

siue auditum. Corpori verò tria hæc:
alimentum necessarium, disciplina,
& laborem moderatum.

DOCUMENTVM VII.

Religioso diligentissimam esse habendam temporis rationem.

CVM homo in tota hac mundi vniuersitate nihil pretiosius habeat tempore, quod ei, teste S. Bernardo concessum est ab omnipotente Deo, quatuor potissimū ob fines, nimirum, *ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam.* cumque illud venti instar rapidissimo cursu, nobis minime aduertentibus præteruolit, oportet Religiosum quemque sollicitum ac prouidum esse, ut tempus acceptum non modò non otiosè & inutiliter transigat, sed vnicuique rei suum tempus accommodare nouerit, adeoque sibi metipso ordinem quendam præfingat, quibus potissimum in actionibus singulas diei horas impensurus sit: communicato super hac re consilio cum Superiore aut Patre suo spirituali,

De interio. domo cap. 35.

rituali, vt maiori in actionibus suis conscientia tranquillitate fruatur. Apud veteres olim Patres recepta erat temporis distributio, quæ hisce versibus continetur.

*Nunc lege, nunc ora, nunc cum seruore labora,
Sic erit hora breuis, & labor ipse leuis.*

DOCUMENTVM VIII.

A quibus sibi cauere debeat Religiosus

Religioso hæc maximè cauenda sunt.

I. Tristitia, & omnis inquietudo siue turbatio spiritus quacunque ex causa. Etenim hæc bonarum actionum hostis & omnium penè tentationum mater est. Contra potius omni studio cõtendet, vt animum semper in Domino hilarem habeat, ad quod eum veteris & noui instrumenti paginae identidem adhortantur. Idem præceptum sanctissimi Religionum Patriarchæ S. Antonius & S. Franciscus, alijque SS. Patres discipulis

pulis suis inculcare confueuerunt, tanquam ad deuotionem spiritua- lemque profectum prorsus necessa- rium.

2. Cauebit sibi à duodecim Religi- onis siue Religiosorum abusibus, quos Hugo de S. Victore abusiones claustrum appellat & hoc ordine re- censet. *Pralatus negligens, discipulus inobediens, iuuenis otiosus, senex ob- stinatus, monachus curialis, monachus causidicus, habitus pretiosus, cibus ex- quisitus, rumor in claustrum, lis in capi- tulo, dissolutio in choro, irreuerentia iuxta altare.*

In clau- stro ani- ma lib. 2. cap. 11.

3. S. Bonauentura ab omni religi- oso quatuor hæc totis viribus eui- tanda esse monet.

Tract. de reformat. mentis.

1. Ne à primo feruore quo cum ad Religionem accessit deficiat, idque pulcherrimo S. Agathonis Abbatis dicto, quod nos initio huius tracta- tui recensuimus confirmat.

2. Ne tepidorum & imperfectorum qui bonis semper immixti sunt ve- stigia sectetur, sed optimos quosque & prudentissimos sibi ad imitandum

pro-

Proponat, eorum mores exprimere, ac vestigijs inhxerere studeat, exemplo boni pictoris, qui elegantem aliquam imaginem deliniaturus, non rude & impositum sibi exemplar proponit, sed omnium quod reperire potest pulcherrimum atque perfectissimum: idem quoque iudicium religiosus in optimorum imitatione adhibebit.

3. Euitabit omnia temeraria iudicia de aliorum actionibus & imperfectionibus.

4. Cauebit ne in aduersitatibus & tentationibus animum abijciat: sed meminisse debebit, se idcirco vitam monasticam amplexum esse, vt in presenti vita, omnia quæcunque sibi possent accidere aduersa pro Dei & Saluatoris IESU Christi amore volens libensque toleraret.

DOCUMENTVM IX.

*Religioso necessarium esse monitorem
& Patrem spiritualem.*

Quan-

Quandoquidem spiritualis vi-
 cæ semita, difficilis, ardua &
 periculorum plena, tentationibusq;
 & illusionibus in primis obnoxia est
 & S. Hieronymo affirmante, *Nulla* *Hieron.*
ars sine magistro discitur: nedum ea *ad Rust.*
quæ reliquas omnes difficultate su- *de mo-*
perat; ne Religiosus à Sathana circū- *nach. in*
ueniatur, neue ad dexteram aut sini- *stitus.*
strā declinet, necessarius est illi Pa-
 ter spiritualis, vir prudens, & in re-
 ligionis palæstra exercitatus, cui cō-
 municet & delegat non omnes mo-
 dō tētationes ac difficultates occur-
 rentes, verum & austeritates quibus
 se affigit, quin & dona cœlestia quæ
 diuina benignitate percipit: adeoq;
 in omnibus actionibus suis illius
 consilio & ductu se perinde atque
 quem dirigi & gubernari patietur.

Et quoniam homo in his quæ ad
 semetipsum pertinent, vt plurimum
 ob nimium sui amorem cæcutit, cla-
 riusque alienos quàm suos videt de-
 fectus, dicente S. Bernar. *Melius videt S. Bernar;*
nos oculus alienus quàm noster: ne Re-
 ligio.

Religiosus si à nemine de suis defectibus & imperfectionibus admoneatur, in illis consenescat, alicui ex fratribus suis sibi maximè charis, hoc monitoris officium delegabit, eumq; rogabit, vt liberrimè in vera charitate, omnia quæcunque viderit, audierit, animaduertit, in se, in cõuersatione, in moribus suis, Religiosũ haudquaquam decẽtia edicat, vt deinceps ea corrigere & euitare possit. Huic autem semel vt minimum in mense, aut etiam crebrius, prout ei visum fuerit, aures adhibebit. Munus namque & officium verorum amicorum est, mutuam hanc admonitionem impendere. Modus hic non tantum ad vitam ex virtutis præscripto instituendam, verumetiam ad sapientiam acquirendam, vti Ethnicos quoque Senecam, Galenum, & alios non latuit, elegantissimus est.



DOCUMENTVM X.

Religiosum frequenter propositum & vota sua renouare, & annuversarium diem sui in religionem ingressus agere debere.

Quoniam ea est hominis in ærumnosa hac vita conditio, ut non à tum corpus, verum etiã anima paulatim magis atque magis senescat, id est, primum illum vigorem, vires, & pulchritudinem, per quotidiana, quibus Deum offendit peccata, sensim amittat: necesse est, ut Religiosus, qui in diuinis obsequijs nõ regredi sed progredi, non deficere sed proficere desiderat, singulari v. tatur industria, ne tempore succedente in sua vocatione paulatim senescat, & in suis imperfectionibus profundo quodam somno consopiat. Quare ut ab hoc incommodo tutus ac liber sit, hac methodo vtetur. Quotannis diem illum quo Religionem diuina benignitate ingressus est, magna cum solennitate peraget, atque

atque in eo vota & proposita sua iterabit, & sic iuuentutem suam ut aquila renouabit. Quod olim magno in usu apud SS. Patres fuisse, docet nos exemplo suo magnus Arsenius, qui diem illū quo mundo nuncium remiserat, omni anno hac celebritate transigebat.

1. Sacrosancti corporis & sanguinis Domini sacramentum magna cum deuotione percipiebat.

2. Tribus pauperibus, eam, quam pro sua voluntaria paupertate poterat eleemosynam dabat.

3. Refectionem ex leguminibus admittebat.

4. Religiosis ceteris cellam suam ingrediendi facultatem permittebat.

*De reformat. mē-
tis cap. 2.*

Exod. 13.

S. Bonauentura eandem Nouitijs atque in eorū persona omnibus Religiosis dat instructionem, atque eā exemplo confirmat populi Israēlitici, cui Deus annuam beneficij liberationis ex Aegypto memoriam his verbis præcepit. *Mementote diei huius in qua egressi estis de Aegypto, & de domo*

*domo seruitutis, quoniam in manu forti
eduxit vos dominus de loco isto.* Ex quo
S. Bonauentura colligit multò ma-
gis omnem Religiosum eniti debere,
vt diei illius, quo ex Aegypto id est è
mundi huius tenebris ad Religiosũ
statum à Deo vocatus est, nunquam
obliuiscatur, sed quotannis festiui-
tatem illius, per deuotam memoriã
& gratiarum actionem, pro benefici-
js in ea perceptis, quàm deuotissimè
peragat. Si enim annua templi ali-
cuius dedicatio iure meritoq; cele-
bratur: nonne multò iustius & rati-
oni convenientius est, vt in memo-
riam Dedicationis animæ, qua illa in
templum uiuum, omnipotenti Deo
consecrata fuit, in singulos annos fe-
stus quoque dies agatur.

Vt autem Religiosus diem hunc
festum ritè celebret tria hæc ei faci-
enda sunt.

1. Integro ante diem ingressus sui
in monasterium, aut professionis fa-
ctæ, octiduo, se ab hominibus, quoad
fieri poterit, abstrahet, atque in cel-
lam recludet, (habita nihilominus
primum

primum superioris sui ad hoc agēdū expressa facultate) ibique omnibus alijs negotijs & occupationibus abdicatis, ad confessionem generalem ab vltima confessione generali, vel à tempore suæ professionis faciendū, se diligenter & sedulo præparabit: tum meditationes quoque de beneficio vocationis, de votis, de vitijs & imperfectionibus suis adijciet.

2. Pridie illius diei quo professionem edidit, aut ipso die confessionem maxima cum cordis contritione, firmissimoque emēdationis proposito faciet, adiectis nonnullis poenitētijs & mortificationibus, ex cōsilio siue consensu patris sui spiritualis.

3. Preciosissimi corporis & sanguinis Dominici sacramentum percipiet, & paulò ante susceptionem vota sua renouabit, eaque submissa voce ijsdem verbis, quibus in professione vltus est, iterabit, ac denuo Creatori suo se totum offeret ad seruiendum illi in vera paupertate, castitate, & obedientia: vehementem quoque

quoque dolorem cōcipiet, quod hactenus vota sua diligentia seruare atque in perfectionis semita feruentius progredi non studuerit.

Caveat tamen ne tam elata voce hæc agat, vt ab alijs exaudiatur: & si Sacerdos est, omnia quæ de votorum renouatione dicta sunt, post absolutū missæ sacrificiū faciet. Hoc pacto Religiosus frequenter deberet vota sua renouare, vt memoriã sibi promissorum Deo factorum refricaret, seqs in vocatione sua magis ac magis roboraret, & ad perfectionem excitaret. Atque idcirco operæ pretium facturus esset, si votorū suorum formulam memoriæ commendaret.

Religiosum ita se omni die gerere debere, quasi primum inciperet.

Est & alter modus, quo Religiosus à periculo tepiditatis se preseruare & ad quotidianum in via spirituali profectum excitare potest: si nimirum indies de nouo incipiat, & cum Regio Propheta dicat. *Ecce nūc* Psal. 76.

D

capit.

capit: si firmiter sibi persuadeat, se necdum quicquam egisse, quod alicuius momenti sit, etiamsi quadraginta iam annos in Religioso instituto suo transegerit: si omni tempore proficere atque in anteriora se extendere studeat, & omni mane vel istum diem totum ad Dei honorem, laudem & obsequium impendere, proponat. Quod si contingat etiam post continuarum aliquanto tempore hoc exercitium, eum nonnunquam illius obliuisci, non statim animo concidat, & ceptum opus bonum deferat, sed è vestigio coram Deo prostratus, veniam omni cum instantia & humilitate, à Deo, & à S. Angelo custode precetur, multoque maiori cum feruore & diligentia prædictum exercitium repetat, vt sic paulatim assiduo illius usu, in eo roboretur, illudque in habitum vertat.

Religiosus

Religiosus confessionem generalem facturus, super quibus punctis se debeat examinare.

1. **E**Xaminabit se super votis, *Paupertate, Castitate, & Obedentia*; an nimirum ea pro viribus omni tempore implere studuerit.

2. Super Regularum sui ordinis observatione, tum earum quæ omnibus communes, tum quæ suo officio aut officijs à se hæctenus administratis propriæ sunt.

3. Super cunctis totius diei actionibus, quas, vt plurimum, à matutina surrectione, vsque ad lecti introitum indies facere consuevit: super alijs quoque, quas semel in hebdomada, aut sæpius aut rarius, agere solitus fuit.

4. Quomodo erga Deum, erga superiores, erga proximos cum Religiosos tum sæculares, erga semetipsum denique, id est animam & corpus suum se gesserit, & an unicuique quod suum est tribuerit.

5. Præcipua quæque, & maximè

conscientiam grauantia, in principio confessionis exponet. Tentationes quoque grauiiores si quas habuit, non reticebit. De tota verò hac confitendi ratione vt melius instruat, R.P. Costeri Institutiones præleget, vbi nonnulla, quæ ei magno adiumento esse poterunt, reperiet.

Methodus præparandi se ad Professionem partim faciendam, partim renouandam.

CLarum atque perspicuum est, ad omnem actionem ritè peragendam, præparationem atque dispositionem cum primis esse necessariam; maximè verò ad suscipiendam gratiam & dona Dei, nam idcirco Propheta nos admonet, dicens *Præpara te corda vestra Domino*. Quantò autè opus ipsum maioris est momenti, tantò diligentiozem exigit præparationem. Ac propterea cum solennis Religiosi professio, qua votis conceptis se Deo solenniter obligat, tanti ponderis ac momenti sit, quàm nulla alia in Religione aut mundo actio,

actio, oportebit eum omne huc studium, omnesque cum animi tum corporis vires conferre, ut eam, quoad fieri potest, perfectissime ad maiorem Dei & Creatoris sui laudem & gloriam faciat.

Id autem ut fiat, vna ante diem professionis hebdomada, ab hominum confortio & congressu penitus abstinabit, atque in cella reclusus, omnia alia negotia, ut minimum externa seponet, ut sanctae ac necessariae huic preparationi se totum libentius dare valeat. Ibi vero constitutus quatuor haec aget. Leget, meditabitur, ad confessionem generalem se parabit, & mortificationibus seu austeritatibus quibusdam insolitis carne affliget: intellige, cum facultate & consensu eorum, quorum cura commissus est.

I. Itaque ad lectionem quod attinet, praeter alios libros spirituales, summa cum attentione leget atque examinabit formulam votorum siue promissionum quibus se Deo obligaturus est: Deinde Regulas & constitutiones ordinis sui. Viam denique

primi institutoris & Patriarchæ eiusdem Ordinis: Non abs re quoque faciet, si prædictam formulam memoriæ commendauerit, vt ea postea, quoties opus fuerit, in votorum renouatione vti possit, quemadmodum superius dictum est.

2. Quoad meditationem & orationem, commendabit se totum ex intimo animi sensu DEO, illiusque gratiam & cælestè lumen ad cognoscendam vocationem suam, perficiendamque sanctissimam eius voluntatem, instantissimis precibus flagitabit. Meditationes verò & considerationes ad hunc scopum maximè accommodatæ possunt esse, de beneficio vocationis, de votis, de antea acta vita, & peccatis tum in sæculo, tum in Religione admissis.

3. Præparabit se ad confessionem generalem vel de tota antea acta vita, vel vt minimum ab vltima confessione generali, faciendam; quã postea summo cum animi dolore & vitæ in melius commutandæ desiderio absoluet.

4. Vt

4. Ut autem omnia hæc rectius fiât, adijciat austeritates, mortificationes, & pœnitentias nonnullas corporales, quarum ei facultatem superior, cuius consilio non aliter ac Dei voci obtemperabit, permiserit.

*Meditationes de beneficio
vocationis.*

VT beneficij vocationis excellentia cognoscatur, ad quod Apostolus huiusmodi verbis nos cõmonefacit. *Videte, inquit, fratres* 1. Cor. 1. *vocationem vestram*, post inuocatam suppliciter Spiritus sancti gratiam prece aliqua vocali aut mētali; quinque hæc consideranda sunt.

Vnde, nimirum vocatus sim, quò, quomodo, quando, & quem in finē, quæ singula sequenti documento latius explicabuntur.

Ad clariorem porro eiusdem beneficij notitiam, non parum proderit, mente reuoluere, nouem priuilegia singularia, quibus Deus quemlibet religiosum afficit & ornat, quæ ibidem reperies.

PRIMA.

Diuersæ possunt de votis meditationes institui.

Primum, vota simul omnia poterunt in vnam meditationem compingi, ita vt singula vota, singula cõstituant puncta, quod variè quoque fieri potest.

1. Vel enim possumus considerare pro primo puncto, quanta sit excellentia paupertatis, quam magna illius necessitas, quam ingens Religioso eam seruandi incumbat obligatio, quam insignes denique illi pariat utilitates. Pro secundo puncto eadem expendi poterunt de castitate. Pro tertio, de obedientia.

2. Vel possumus de tribus hisce virtutibus, specialem primò meditationem instituere in persona Iesu Christi Domini & magistri nostri: reuoluendo videlicet, quam ille pauper, castus, & obediens omni tẽpore fuerit. Deinde specialem quoque

que meditationem in persona Beatis. Virginis. Posthæc aliam similiter in persona primi institutoris Ordinis nostri.

3. Vel denique possumus tres hæc personas in vna simul meditatione coniungere & considerare:

1. Quam Christus Dominus noster, castus, pauper & obediens in omni vita fuerit.

2. Quam in iisdem virtutibus beatis. virgo Maria excelluerit.

3. Quam eadem virtutes in religionis nostræ primo institutore conspicuæ extiterint.

SECUNDA.

SECUNDò poterunt vota singula per se in meditationem assumi, & vna vel plures meditationes primò de paupertate, tum de castitate, demum de obedientia formari. Possunt autem in singulis hæc potissimum considerari.

1. Quid exempli gratia, sit paupertas, & in quo consistat esse pauperè.

D §

2. Quam

2. Quam pulchra, excellens, utilis & necessarià sit hæc virtus, expendendo speciatim insignes quas adfert utilitates.
3. Quanto perè virtus hæc placeat Deo, quamque hominem illi gratum & acceptum reddat.
4. Quibus exemplis ad hanc virtutè Christus nobis præiuerit, quibus etiam monitis & doctrinis ad eam nos excitauerit.
5. Quam longè haftenus à virtute hac abfuerim, de quo veniam à Deo precabor.
6. Quid mihi deinceps agendum sit, vt hanc virtutem assequi valeam.

TERTIA.

Tertiò poterunt mente tractari omnia & singula verba in votorum seu professionis formula contenta, quæ licet pro Ordinum varietate diuersa sit, vt plurimum tamen quinque hæc in se cõplectitur, nimirum. Quis sit qui vouet. Quid voueat. Cui voueat. In cuius præsentia voueat, & preces

preces professionem antecedentes
& subsequentes.

1. Qui vouet: Ego N. creatura vilissima & prorsus indigna, quæ compaream in cōspectu diuinæ præsentia: licet confusus de infinita Dei clemētia & bonitate, ac desiderio eidem seruiendi, gratumque obsequium præstandi impulsus, accedere præsumpserim.

2. Quid voueat. Voueo. 1. Stabilitatem, id est, in finem vsque perseuerare, viuere ac mori in hac vocatione ad quam tibi me immeritum sola tua benignitate placuit vocare. 2. Conuersionem morum meorum, id est, aliud esse quam ante fui, cogitationes, affectiones, verba & actiones pristinas vniuersamque vitam meam reformare, & malos mores in melius deinceps commutare. 3. Obedientiā.

4. Paupertatem. 5. Castitatem. Quæ duo postrema nonnunquam sub obedientia voto comprehenduntur.

6. Regularum & constitutionum ordinis mei obseruantiam. Si fœmina est quæ profitetur, pro 7. adijciet,

D 6 clau-

clausuram. O quam magnæ & eximiae sunt hæ promissiones, quamtunque meritorum ei cumulum parient, qui eas ritè seruauerit.

3. Cui uoueat? Deo. Si autem ei, qui Regi aut Principi terreno, promissione aliqua se obligauit, maximeperè cauendum est ne fides eius in promissis desideretur: multò magis ei qui Deo omnipotenti solenni se voto obstrinxit, prouidendum erit ne fidem suam deserat, & promissorum exolutione, illius in se irā concitet?

4. In cuius præsentia uoueat? Omnium cæli ciuium, Beatissimæ uidelicet Mariæ Virginis Dei genitricis, Angelorum & sanctorum omnium: Sancti N.N. primi ordinis Institutoris, aliorumque sanctorum eiusdem Ordinis specialium Patronorum, qui nominatim recensendi sunt, denique Superioris mei, & omnium circumstantium.

5. In precibus, tum ipsius qui profitetur, tum Sacerdotis, qui professionem

nem

nem recipit, & aliorum assistentiū,
ipsæ orationes sunt considerandæ.

Quid agendum post professionem.

FActa professione, cauebit ne vnquam ex animo ipsius effluat memoria; primum beneficij quo à Deo affectus est, dum ad ralem statum vocatus fuit: deinde votorum quibus Deo se obstrinxit, simulque diligenter & sapè considerabit, quanto perè obligatus sit dignè in hac vocatione ambulare, tam respectu beneficij accepti, tum quoque respectu votorum editorum.

Legimus in vitis SS. Patrum, Abbatem Paphnutiū singularis sanctimonix virum, tria hæc memori semper mente circumferre, & idētidem voluere atque reuoluere cōsueuisse: diem videlicet, quo sacrum Baptisma suscepisset & Christianis legibus imbutus fuisset, (nam antea Ethnicus fuerat:) diem quo religioni monasticæ nomen dedisset, in eaque vo-

ta solenniter edidisset: verba deniq;
summi Iudicis, quibus in nouissimo
iudicij die malos omnes percelleret
quãdo dicet. *Ite maledicti in ignem æ-*
ternũ, qui paratus est Diabolo & Ange-
lis eius. Franciscus Xauerius vnus ex
primis Societatis Iesu Patribus, con-
sueuerat, quemadmodum auctor vi-
tæ illius testatur, vota sua frequẽter
renouare, in eumq; finem vna cum a-
lijs sanctorum reliquijs formulam
quoque professionis & votorum su-
orum ex collo appensam omni tem-
pore gestabat: virisq; Religiosis con-
sulebat, vt omni die sub finem matu-
tinæ meditationis vota sua renoua-
rent. Quod consilium cum haudqua-
quam paruipendendum sit, consues-
cet Religiosus inter quotidiana suæ
deuotionis exercitia, hoc quoque vti
vnum ex maximis ad profectum &
Religiosam perfectionem adipiscẽ-
dam adiumentis frequentare. Vertẽ-
te quoque anno diem suæ profes-
sionis singulari cum celebritate, & vo-
torum specialiori renouatione per-
agere, tum vt memoriã sibi refricet

VOTORUM

Lib. 1.

cap. 3. &

lib. 5. ca.

B. & 15.

votorum quæ Deo vouit, & obligationis qua ei obstrictus est, tum vt in vocatione sua magis ac magis confirmetur, atque in deuotione & virtutibus crescat, vti documento decimo explicatum est.

Quæ sint Religioso frequentius in meditationem assumenda.

PRæter communia illa, quæ omnibus qui christiano nomine censentur crebrò mente tractanda veniunt; cuiusmodi sunt: meditationes de peccatis, de quatuor hominis nouissimis, de diuinis Beneficijs, de Christi Domini & Seruatoris nostri incarnatione, vita, & Passione, de fidei mysterijs: sunt præterea specialia quædã & Religiosis maximè accommodata, quibus diligenter reuoluendis frequentius debet in hæerere. Talia verò sunt.

I. Beneficium vocationis, vt illius magnitudinem, status sui excellentiam, & maximam qua iuxta vocationem suam dignè conuersari tenetur, obligationem cognoscat. Quæ vt intelligat,

intelligat, secum expendet beneficij
huius, circumstantias hoc disticho
comprehensas.

*Vnde es, Quò, Quo modo, Quando, Quo
sine vocatus, Religiose animo saepe
reuelue tuo.*

Consideret, ergo primum, vnde
DEVS ipsum vocauerit; nimirum
ex mundo, qui est abyssus malorum,
peccatorum, periculorum.

Quò. Ad sacram Religionem, do-
mum Dei, scholam virtutum, salutis
portum, exemplar cælestis Ierusalē.

Quomodo vocauerit, quanto cum
amore, sapientia, potentia, nullis su-
is præcedentibus meritis &c: vbi ad-
uertet diuinæ prouidentiae indicia
& modos quibus in se vocando usus
est, quamque dulciter & suauiter id
effecerit.

Quando, In ætate iuuenili, nouis-
simo hoc sæculo, in tanta prauitate
atque improbitate hominum.

Quo fine, videlicet: 1. Vt ei perfe-
ctissimè famularetur & omnia pro-
pter illius seruitium desereret.

2. Vt

2. Ut poenitentiam pro suis & aliorum sceleribus ageret, crucem post Christum baiularet, atque illius vestigia calcaret.

3. Ut salutem suam operaretur, atque perfectioni acquirēdæ totis viribus insisteret, hoc est, sanctā & inculpatam vitam duceret.

4. Ut proximum pro virili adiuuaret, idque medijs vocationi & instituto suo congruentibus, doctrina, exemplo, precibus.

Ultima hæc finis consideratio quæta utilitatis sit, docet nos exemplo suo S. Bernardus. Is enim, uti ab auctore vitæ illius, memoriæ proditum est, *Hoc semper in corde frequenter etiam in ore habebat. Bernarde, Bernarde, ad quid venisti?* Et hac sola consideratione assidua, in vita spiritali & Religiosa perfectione tantoperè profecit, ut cunctis Religiosis norma & exemplum sanctitatis effectus sit. Abbas quoque Arsenius ante illū idem facere solitus fuit, uti testis est Abbas Dorotheus *Doctrina* 10.

Lib. 1.
cap. 46.

2. Religioso frequenter consideranda

randa & ante oculos habēda est primi Institutoris ordinis sui vita: atq; hunc in finem illam sæpè leget ac releget, vt omnia illius dicta & facta in numeratō habeat, illum pro viribus imitari, mores eius ad amussim exprimere, & similem spiritum adipisci satagat, quandoquidem Deus illi sanctum hūc idcirco pro norma & exēplo esse voluit, vt quā simillimus ei fieri tota contentione laboraret.

3. Sæpe etiam animo versare debet sententias quasdam Euangelicas ad Religiosum specialius pertinentes, cuiusmodi hę possunt esse.

Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucē suam quotidie & sequatur me. Matth. 16.

Si vis esse perfectus, vade, vende omnia quę habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in celo, & veni sequere me. Matth. 19.

Venite post me, & faciam vos fieri pisces hominum Matth. 4.

Si quis venit ad me & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios

filios & fratres & sorores, adhuc autē
& animam suam, non potest meus esse
discipulus. Luc. 14.

Ecce nos reliquimus omnia & secu-
ti sumus te, quid ergo erit nobis? Amen
dico vobis, quod vos qui reliquistis om-
nia, & secuti estis me, sedebitis super
sedes in iudicio, &c. Et omnis qui reli-
querit domum, fratres, sorores, aut pa-
trem, aut matrem, aut uxorem, aut
filios propter nomen meum, centuplum
accipiet, & vitam eternam possidebit.
Matt. 19.

4. Considerabit nomina Religio-
si, quæ paucis initio huius tractatuli
delibauimus.

5. Vota Paupertatis, Castitatis, &
Obedientiæ.

6. Regulas & constitutiones ordi-
nis sui, tū eas quæ omnibus commu-
nes sunt; tum quæ ad officium, si quo
fungitur specialius pertinent: formā
vero & methodum eas consideran-
di paulò post subiungemus.

7. Priuilegia & beneficia specialia
quibus Deus Religiosum quemque
ornat, quæ S. Bernardus breuiter ho-
milia

Matt. 13.

S. Bern.

milia quadam in Parabolâ Euangeli-
câ de Negotiatore, bonas margaritas
inquirente, recensuit: per Margaritâ
à Negotiatore inuentam, atque om-
nibus diuenditis comparatam, Reli-
gionem monasticam accipiens. *Inre-
ligione, inquit, homo Viuit purius, Ca-
dit rarius, Surgit velocius. Incedit cau-
tius, Quiescit securius, Irroratur fre-
quentius, Moritur confidentius, Pur-
gatur citius, Remuneratur copiosius.*

REGVLA E ORDINIS qua methodo
in meditationem sint assu-
menda.

PRior Methodus est. Vnam tantû-
modo Regulam assumere, & de
illa sequentia perpendere.

1. Quid contineat, id est, quid iu-
beat, quid vetet, quid dñe consulat.
2. In regula hac quantum ponderis
ac momenti constitutum sit: quam e-
ximix utilitates ex illius adimple-
tione, & contra, quam ingentia de-
trimenta ex negligenti eius obser-
uatione pullulent.
3. Quis Regulæ huius auctor sit, i-
dem qui Religiosi status auctor, ni-
mirum, Deus ipse.
4. Cur

4. Cur eam constituerit : propter me, salutis, & profectus mei causa.

5. Quam sæpè in illius negligentia deliquerim, de quo veniam à Domino precabor, cum dolore & firmo proposito deinceps perfectius illam adimplendi, atque hùc in finem cælestem à Deo gratiam flagitabo.

Alteramethodus est : Plures simul Regulas vnius vel mediæ horæ spacio meditari, atque in singulis parumper immorari, considerando primùm quid vnaquæque contineat, quam sæpè in illam deliquerim, & reliqua quæ paulò ante posita sunt puncta, breuiter percurrendo.

Methodus acquirendi virtutes.

QVandoquidem Religiosus ratione vocationis suæ ad virtutum & perfectionis acquisitionem uti supra dictum est, obligatur, necesse est. Vt quibus potissimum modis ac medijs exquiri valeant nouerit: nam ex eorum ignorantia tam multos cernimus Religiosos in suis imper-

imperfectionibus consensescere, nec vel unicam virtutem in omni vita sua perfectè adipisci.

Virtutes omnes vel sunt infusæ, vel acquisitæ, id est, homo virtutes adipisci potest duplici ratione, vel per solam Dei gratiam, quæ virtutes & omnia bona largitur; vel per industriam & diligentiam, quam in illis acquirendis, Dei gratia adiutus collocat. Pro qua ad usum adhibenda notabit sequentia documenta.

PRIMUM fit. Ei qui aliquam virtutem, exempli causa, *humilitatem*, adipisci cupiat hæc quinque esse necessaria,

1. *Ingens eiusdem virtutis desiderium*: quod acquiritur expendendo eiusdem virtutis pulchritudinem, nobilitatē, necessitatem, & alia de quibus paulò post.

2. *Oratio*, qua eandem virtutem instantissimis à Deo precibus perat.

3. *Meditationes* frequentes de eadem virtute: in quibus quatuor hæc secū reuoluet. 1. Quantoperè virtus hæc Deo placeat. 2. Quam pulchra & excellen:

cellen:

cellens in seipsa sit. 3. Quam homini ad salutē sit necessaria. 4. Quam insignes utilitates & fructus possessori suo adferat.

4. *Iuge exercitium*, & quotidianus vsus actuum tam internorum quam externorum, eiusdem virtutis.

5. *Examen*, quo semetipsum indies de defectibus contra hanc virtutem admissis, discutiat.

Hæc quinque puncta, vt facilius memoria retinere atque ad vsum conferre valeat, distichum hoc memoriæ commendabit.

*Exoptes, ores, meditère, opereris oportet
Discutias crebro, si cupis esse bonus.*

I I. Quamuis omnes virtutes æqualiter desiderandæ sint, attamen vt facilius acquiri & in habitum verti possint, vnica tantum assumenda est, in qua per mensem, annum, vel quamdiu necesse fuerit sese exerceat, illiusque actus tamdiu frequenter, quousq; habitum virtutis huius acquisuerit. Alioqui nunquam ad finem optatum pertinet.

III. Ante

III. Ante omnia illæ virtutes deligendæ, & pro earum acquisitione desudandum est, quæ maioris momenti sunt, & quas quilibet sibi magis nouit esse necessarias, deinde cæteræ paulatim assumendæ. Atque vt generatim de his aliquid dicam: duæ videntur esse præcipuæ & omnibus maximæ necessariæ virtutes, nimirum, humilitas & charitas.

IV. Proderit quoque plurimum ad virtutum acquisitionem, legere librum, vel libri alicuius capitulû, de virtute quam sibi quisque propositam habet, atque vitio illi oppositò tractantem.

V. Non parum etiam adiumenti adferet, si quis de eadem virtute elegantes aliquot Sacræ scripturæ, sanctorum Patrum, aliorumque doctorum virorum, etiam Ethnicorum sententias memoriæ commendet, easque sæpenumerò secum reuoluat.

VI. Velissimum præterea erit, proponere sibi sanctorum qui in ea virtute maximè claruerunt exempla: præcipuè vero Domini & saluatoris nostri

nostri Iesu Christi; Beatissimæ virginis Mariæ; Fundatoris ordinis quem quisque professus est.

Epistola exhortatoria S. Thomæ, ad quendam, in qua proponit idoneū modum salubriter acquirendi sapientiam siue humanam siue diuinam.

Est inter minora ipsius opera, opusculum 68.

Quia quaesivisti à me, frater in Christo mihi charissime qualiter te studere oporteat in thesauro scientiæ acquirēdo; tale à me tibi super hoc traditur consilium, vt per riuulos non statim in mare eligas introire, quia per facilia ad difficiliora oportet deuenire. Hac est ergo monitio mea & instructio tua.

1. Tardiloquum te esse iubeo, & tardè ad locutorium ascendentem.
2. Conscientiæ puritatē amplectere
3. Orationi vacare non desinas.
4. Cellam frequenter diligas, si vis in cellam vinariam introduct.
5. Omnibus te amabilem exhibe.

E 6 Nihil

6. Nihil quere penitus de factis aliorum.
7. Nemini te multum familiarem ostendas, quia nimia familiaritas parit contemptum, & subtractionis à studio materiam subministrat.
8. De verbis & factis secularium nullatenus te intromittas.
9. Discursus super omnia fugias.
10. Sanctorum & bonorum imitari vestigia non omittas.
11. Non respicias à quo audias, sed quicquid boni dicitur memoria recommenda.
12. Ea quæ legis, & audis, fac ut intelligas, de dubijs te certifies.
13. Quicquid poteris in armariolo mentis reponere, satage; sicut cupiens vas implere.
14. Altiora te ne quæsieris. Illa sequens vestigia frondes & fructus in vineam Domini Sabaoth utiles, quam diu vitam humeris proferes ac produces. Hæc si sectatus fueris, ad id attingere poteris quod affectas.

BINAE REGVLAE; SIVE DO-
 cumenta S. Bernardi, ad Religiosam
 perfectionem expeditè conse-
 quendam perutiles.

Subiunguntur ferè, post libellum S.
 Bernardi qui inscribitur. For-
 mula honestæ vitæ.

SI plenè vis assequi quod intēdis,
 duo sunt tibi necessaria. *Primum*
 est, vt subtrahas te ab omnibus tran-
 sitorijs rebus & terrenis, vt nihil de
 eis cures, ac si non essent. *Secundum*,
 vt ita te des Deo, vt nihil dicas vel
 facias nisi quod credideris firmiter
 Deo placere.

PRIMUM.

PRIMUM assequēris hoc
 modo.

1. Omnibus modis quibus potes,
 te vilifica, te nihil reputando esse,
 sed credas omnes homines esse bo-
 nos, & meliores te, magis que place-
 re Deo.

E 2

Quæ-

2. Quaecunque audis vel vides in
religiosis personis, puta bona inten-
tione dici vel fieri, etiamsi contraria
videantur. Nam humana suspicio, fa-
cilè fallitur.

3. Nulli displiceas.

4. Nihil vnquam de te loquaris,
quod laudè importet, quantumcūq;
sit familiaris ille cum quo loqueris,
imò plus labora virtutes cēlare, quā
vitia.

5. De nullo prorsus finistrè loqua-
ris, quantumcūq; sit verum vel ma-
nifestum, nisi in confessione, & hoc,
vbi nō potes aliter manifestare pec-
catum tuum.

6. Libentius accommoda aurem
tuam cum aliquis laudatur, quā cum
vituperatur.

7. Cum loqueris verba tua sint ra-
ra, vera, ponderosa, & de Deo.

8. Si secularis loquitur tecum &
vana proponit, quam citò potes suc-
cide sermonem, & transferas te ad
ea, quæ Dei sunt.

9. Quicquid contingat tibi vel a-
lij, quantumcūque coniuncto, non
cures

cures: & si aduersum est, non tristeris: si prosperum, non læteris: sed totum nihil, puta & lauda Deum.

10. Sollicitudinem adhibe quantūcunque potes, vt vtilitati tuæ sedulus intendas.

11. Fuge loquutoria quantū potes. Melius est enim silere quàm loqui.

12. Post Completoriū non loquaris, quousque finita sit missa sequentis diei, nisi causa maxima interuenierit.

13. Cum vides aliquid, quod tibi displicet, vide si hoc est in te, & abscinde: si vero vides aliquid, quod tibi placet, vide si hoc est in te & tene: si non est assume, & sic erunt tibi omnia in speculo.

14. De nullare murmures cum aliquo, (nisi credideris prodesse) quantumcunque sit graue quod habes.

15. Nunquam pertinaciter aliquid affirmes vel neges, sed sint tuæ affirmationes & negationes, dubitationes sale conditæ.

6. A cachinnis sēper abstineas, rideas verò raro, & cū paucis præstes ostium.

E 3

17. Breui-

SECUNDVM.

Secundum autem assequeris hoc modo.

1. Orationibus cum magna deuotione intendas, & eas dicere laboris debitis: & quod offers in oratione, reminiscaris in corde. Et ut ea quæ legis confirmes, diligenter recogita, & eorum imagineris statum in quorum memoria hæc dixeris.
2. Ista tria semper in mente habeas: quid fuisti, quid es, & quid eris; Quid fuisti, quia sperma fatidum: quid es, quia vas stercoreum: quid eris, quia esca vermium.
3. Similiter imagineris eorum poenas, qui sunt in inferno, & quod nunquam finientur, & pro quam modica delectatione, tanta mala patiuntur.
4. Similiter imaginaberis gloriam Paradisi, & quod nunquam finietur, & quam breuiter & citò acquiritur, & quantus luctus & dolor poterit esse illis, qui pro parua re tantam gloriam amiserint.
5. Cum habes aliquid quod tibi displicet

splicet, vel times habere: cogita quod si tu esses in inferno, & illud & quicquid nolles, haberes.

6. Et cum habes aliquid quod tibi placet, vel optas habere; cogita quod si tu esses in Paradiso, haberes illud, & quicquid velles. Si autem in inferno esses, nec illud, nec aliud quod velles, haberes.

7. Quandoque est, festum alicuius sancti, cogita de illo quanta sustinuit propter Deum, quia brevia: & qualia adeptus est quia æterna.

8. Similiter cogita, quia transeunt, bonorum tormenta, malorum gaudia. Hi cum istis tormentis adepti sunt gloriam æternam: & isti ex indebitis gaudijs æternam pœnam.

9. Quandoque te vincit acedia, accipias hoc scriptum, & imagineris hæc omnia diligenter. Et cogita de tempore quod sic perdis, quod illi, qui in inferno sunt, darent totum mundum (si haberent,) pro eo.

9. Quandocumque te vincit accidia, accipias hoc scriptum, & imagineris hæc omnia diligenter. Et cogita de tempore quod sic perdis, quod illi, qui in inferno sunt, darent totū mundum (si haberent,) pro eo.

10. Cum habes aliquas tribulationes, cogita quod illi qui in Paradiso sunt carent ijs. Similiter cum habes aliquas consolationes, cogita illos de inferno carere eis.

11. Omni die cum vadis iacere, examina diligenter quid cogitasti, & quid dixisti in die: & quomodo utile tempus & spacium, quod datum est ad acquirendum vitam æternam, dispensasti. Et si benè transiisti, lauda Deum: si malè vel negligenter, lugeas, & non differas confiteri. Si aliquid cogitasti, dixisti, vel fecisti quod tuam conscientiam multum remordeat, non comedas antequam confitearis.

12. Istud in fine pono: vt imagineris duas ciuitates, vnam plenam omnibus tormentis, quæ est Infernus: alteram plenam omni consolatione, quæ

quæ est Paradisus. Et ad vnam illarū oportet te currere. Vide quid te possit trahere ad malum, vel impedire à bono. Credo quod nihil inuenies.

Certus sum, quod si benè seruaeris ea quæ sunt hic, spiritus sanctus habitabit in te, & perfectè docebit te facere omnia. Ergo bene serues ista, & nihil negligas. Et lege ea in septimana bis, scilicet in die mercurij, & in die sabbathi: & vt inueneris te fecisse quod scriptū est, lauda Deum, qui est pius & misericors in secula seculorum,
Amen.

FINIS.

*Laus omnipotenti DEO & beatissima
virgini Matri.*

R. P.

R. P.

IGNATI
BALSAMI E SO-
CIETATE IESV

Theologi.

INSTRVCTIO BREVIS ET

accurata de vera rectè orandi &

meditandi methodo.



COLONIÆ,

Ex Officina Ioannis Kinckij

Anno M. D. C. XII.

INSTRVCTIO
BREVIS ET ACCVRA-
T A D E V E R A R E C T E
O R A N D I A C M E D I T A N -
di methodo.

CAP. I.

INTER omnia vitæ spi-
ritualis exercitia, nullū
oratione mētis siue me-
ditatione difficili⁹, nec
vllum æquè necessariū.
quod non modò sanctissimorum vi-
rorum innumera testimonia, verum
ratio quoque ipsa & quotidianus v-
sus atque experientia satis superque
demonstrat. Vt proinde mirum non
sit, magnā ex parte hominis, ad pra-
xin eius perdiscendam, requiri soli-
citudinem, desiderium, diligentiam.

A tribus autem potissimum ma-
gistris tota hæc benè precandi ars
addisci potest. *Primus* est S P I R I -
T V S S A N C T V S. Etenim si dona
omnia à D E O sunt, multò speci-
alius donū perfectæ orationis, quod

E 6 cætera

Luc. c. 11.

cætera excellit, à Deo proficisci necessè est, atque idcirco instantissimis & humillimis, à cælesti numine precibus donū hoc efflagitandum est, & cum Apostolis dicendum: *Domine doce nos orare.*

Secundus est ipsamet **ORATIO**: nam orando & meditando, orationis ac meditationis praxis, nō aliter atq; cæterarū artium, addiscitur. Et quē admodum qui nunquam aut rarius in litteris formandis se exercet, scribendi artem nunquam perfecte percipiet: ita qui nunquam aut raro precibus aut meditationibus incumbit, earum vsum atque praxin vix vñquā intelliget.

Luc. 11.

Tertius est, **PATER SPIRITUALIS**, in meditationū exercitijs probè exercitatus. Nam, (dicente S. Hieronymo) *nulla ars sine magistro discitur*. Atque hinc est, quod sacris Euāgelij attestātibus, S. Ioannes Baptista, & christus seruator noster discipulis suis orandi methodum tradidisse leguntur.

POR-

ORANDI ET MEDITANDI. 85

PORRO ad meditationem seu mentis orationem rectè instituentam, duo sunt necessaria, *methodus* & *materia*, id est, prænoscere oportet modum id agendi, & promptam atque paratam habere materiam siue obiecta circa quæ mens occupetur: etenim vel vtriusque huius rei, vel alterius tantum defectu, non pauci præpediti, sancto huic exercitio aut non vacare, aut non eo quo deberent cum fructu eidem insistere queunt. Nos autem medelam adhibere, & vtrique huic defectui, quoad fieri poterit, providere conabimur: posteaquã duo hæc notatu digna prius explicauerimus: nimirum quæ sit orationis siue meditationis finitio, quæque illius species: & quibus potissimum rebus illa vel impediatur, vel promoueatur.

ORATIO ET MEDITATIO
quid: & quæ illius species.

CAP. II.

ORATIO tres diuersas habet
significationes, quarum secun-
da huic loco videtur esse magis pro-
pria. Nonnunquam enim accipitur
pro petitione; quomodo eam S.
Ioannes Damascen. *l. b. 3. de fide cap.*
24. vsurpauit, hoc pacto illam defi-
niens: *Oratio est petitio decentium*
à Deo. Aliquando pro colloquio a-
nimæ cum Deo, siue aliquid ab eo
postulantis, siue gratias agentis, si-
ue aliud aliquid cum eo conferen-
tis: quam significationem S. Ioannes
Chrysostomus respexit, quando
illam *Homil. 10. in Genes.* ita descri-
bit. *Oratio est colloquium cum Deo.*

SIGNIFICAT quandoque ge-
neratim omnes intrinsecos actus in-
telligentiæ, voluntatis, aliarumque
animæ potentiarum, quando ad De-
um atque superna diriguntur. Quo-
sensu

sensu accepisse videtur eam paulò ante citatus S. Ioannes Damascenus, quando eodem in loco eam ita definit. *Oratio est ascensus mentis in Deum.*

In hac autem significatione si usurpetur, meditatio, contemplatio, Dei laus, gratiarum actio, petitio, obsecratio, oblatio, promissio, protestatio, sui ipsius accusatio, fletus, examen conscientiae, admiratio, aliaque similes actiones, sunt orationis species: adeoque meditari, contemplari, gratias agere, offerre, conscientiam examinare, nihil aliud est quam orare: quin & spiritualem libellum ad deuotionem excitandam legere, idem erit atque orationi vacare. Etenim quãdo quis lectioni hunc in finem incumbit, Deus homini loquitur, quemadmodum orãdo, homo loquitur Deo. Atque id S. Bernardù (*lib. de scala claustralium*) permouisse videtur, vt lectionem spiritualem inter orationis partes recenseret.

MEDITARI nihil aliud est, quã diligenter & attentè secum expendere ac reuoluere rem propositam, in finem orandi, vel cum Deo colloquendi. Idque propterea adiunge, quod mysteriorum fidei atq; aliarum rerum diligens consideratio, vt pro cathedra populo explicetur, aut alius finis habeatur, non sit orationis aut meditationis nomine nuncupanda. Est autem meditatio hæc siue consideratio actus intellectus, è quo immediatè oritur actus voluntatis. Nam homo bonum vel malum aliquod liquidò cognoscens, ad vnius amorem, alterius verò execrationem facillimè promouetur. Vnde regius Propheta David ait: *In meditatione mea exardescet ignis.* Atque propterea oratio & meditatio vt plurimū ita inter sese coniuncta & connexa sunt, vt vna sine altera vix tractari atque explicari queat.

Psal. 38.

CONTEMPLATIO est excellēs quædam & affectuum plena meditatio sine discursu & labore fluens, dum anima Deo, per notitiam atque
amo-

amorem perfectum copulata est: in eoque delectatur: non aliter atque eum aliquis imaginem elegantissimam fixis luminibus intuetur, sine oculorum in hanc vel illam partem inflexione, ob summam quam ex eius aspectu percipit voluptatem.

LAVS DEI est, Deum ob virtutes atque perfectiones illi inhærentes prædicare.

Gratiarum actio est, eidem pro beneficijs acceptis gratum se probare.

Petitio est, aliquid à Deo, nulla adhibita obsecratione postulare.

Obsecratio, est petere aliquid ab eo, interposita re aliqua sacra ipsi gratissima, cuius intuitu ad largiendum quod petimus, inflecti queat. ut si rogemus eum per sanguinem & vulnera dilectissimi filij sui.

Oblatio est, offerre ipsi animam, corpus, actiones nostras, aut alia similia.

Examen conscientie, est peccata sua coram Deo commemorare, eorum-

rumque veniam ab illo precari, & emendationem polliceri.

Admiratio est excellens orationis actus, quando anima in contemplatione constituta, diuinam sapientiam, bonitatem, potentiam, aliaque Dei opera vehementer admiratur & obstupescit, quam excipiunt ut plurimum inflammati affectus & exclamationes; nonnunquam raptus & extases.

¶ Cæterum si oratio propriè accipiatur in secunda significatione, tres sunt illius species, *mentalis*, *vocalis* & *mixta*: cuius partitionis hæc ratio reddi potest: quod homo tripliciter cum Deo agere, & colloqui valeat, corde, ore, atque utroque simul, atque ideo necessè sit triplicem orationem constituere.

Oratio mentalis est, cum anima Deo intrinsecus loquitur, sine verbi alicuius prolatione, & labiorum motatione: hæc est vera oratio, diuinæ maiestati præ cæteris maximope-
rè

rè placens, de qua Christus Seruator
 noster ad mulierem Samaritanam a-
 it. *Deus spiritus est, & eos qui adorant Ioan. 4.*
cum, in spiritu & veritate oportet a-
adorare.

Oratio vocalis ea est, cum ore, ver-
 ba orationis concipiuntur & reci-
 tantur. Vbi nihilominus notandum
 est, oportere illam quoque ex corde
 procedere, id est, verba quæ recitan-
 tur, mente reuoluenda & tractanda
 esse: aut certè vt minimum, orandi
 intentionem adesse oportere. Ete-
 nim si quis ore tantummodo prece-
 rur, nulla adhibita attentione siue
 consideratione, nec debita vtatur
 diligentia in distractionibus & eu-
 gationibus mentis reprimendis, ille
 non orationi vocali incubuisse cen-
 sendus erit, sed contra enormi se
 peccato constrinxisse. Quod pec-
 catum **D E V S** populo suo apud
 Esaiam acri oratione his verbis
 improperat. *Populus hic labijs me Isai. 29.*
honorat, Cor autem eorum longè est Matt. 23.
à me.

Itaque

Itaque oratio hæc nõ ideo appel-
latur vocalis, quod ore tantummo-
do proferatur, sed vt à mentali distin-
guatur, quæ cum sola mente fiat, vo-
calis ad mentis intentionem verba
quoque adijcit.

Oratio mixta, id est, ex vocali &
mentali composita, ea est, quando o-
rans, partim corde, partim ore Deum
precatur, ac proinde oratio mixta
appellanda non est, quando quis vno
eodemq; tempore spiritu & verbis
cõceptis simul orat, reuoluendo secũ
ea quæ dicit, (vti nonnulli existi-
mant:) ea etenim est vocalis oratio:
sed mixtæ nomine ea tantum nuncu-
panda venit, quando post orationem
spiritu & mente tantum con-
ceptam præcem, aliquam
vocalem orãs sub-
iungit.

RECTE

RECTE ORATURO AC ME-
ditaturo qua seruanda & qua
fugienda sint.

CAP. III.

MULTA sunt quæ orationem ac
meditationē, vt rectè fiat, pro-
mouent: non pauca item quæ illam
impediunt: quapropter orans diligē-
tissimam dabit operam, vt illa soli-
citè adimplere, hæc vero totis viri-
bus euitare studeat. Etenim causarū
propter quas nonnullis exercitium
meditationis difficillimum videtur,
& ob quas paucissimi reperiuntur
qui eius praxin perdidicerint, præci-
pua & maxima est, quod in ijs quæ o-
raturō necessaria sunt, acquirendis,
vel in contrarijs cauendis debitam
non ponant diligentiam.

Quod quilibet intelligere pote-
rit, si semetipsum iuxta ea quæ nos
paulo post explicabimus, discusse-
rit.

De his impedimentis cum fusè, &
elegan-

*Vide
Plud. de
Ponte,
Meditat.*

eleganter R. P. Ludouicus Gratanen-
sis magnæ religionis & sanctimonix
vir, in secunda parte libri de oratio-
ne & meditatione egerit: nos ea tan-
tum breuiter pro instituti nostri ra-
tione perstringemus.

TEMPVS.

P R I M V M, opus est, vt certum san-
cto huic exercitio, tempus in sin-
gulos dies assignetur. Quod vt fiat
notanda sunt quædã. i. Non posse ge-
neralem præscribi regulam quan-
tum quisque huic exercitio tempo-
ris impendere debeat, propter per-
sonarum diuersitatem, sed necessa-
rium esse, vt quilibet iuxta statum
suum, vnam, duas, vel certè vt mini-
mum dimidiam horam, aut quan-
tum ei videbitur temporis, in hunc
finem deputet, simulque certam ho-
ram, vel matutinam vel vesperti-
nam, prout oportunum ei fuerit,
qua id facturus sit, determinet.

2. P O S T E A

2. POSTEA QUAM firmiter se-
cū statuerit, quantum temporis &
quam horam huic exercitio dare ve-
lit: maximoperè cauebit ne propter
negotium aliquod terrenum horam
illam prætermittat, aut in aliam
commutet: sed certò sibi persuadeat,
negotium hoc omnibus alijs, quæ
occurrere possint, maius & excel-
lentius esse, adeoque cunctis præfer-
ri debere. Etenim hostis malignus,
cum summæ sit calliditatis atque
versutiæ, nihil maioribus agit viri-
bus, quàm vt meditantem impellat
vel ad omittendam vel ad differen-
dam in aliud tempus incommodum
orationis horam, vt tum malè me-
ditationem peragat, vel omnino e-
am prætermittat. Non minus quo-
que cauebit, ne præfixum orationis
tempus abrumpat vel abbreviet, de
quo paulo post nonnulla dicemus.
Quæ tamen omnia intelligi debent,
ita facienda esse, vt nullum per hoc
charitati vel obedientiæ detrimen-
tum adferatur.

Etenim

Etenim si contingat, nobis precibus incumbentibus, à superiore aliquid iniungi, aut aliquod charitatis opus, quo proximus iuuandus sit, se nobis offerre, orationem interrumpere atq; ad tempus seponere debemus, sic enim gratissimam Dei voluntatem, (qui ita fieri vult) adimplebimus, & nobis meritorum cumulum adaugebimus.

3. EVANIENTE autem hoc casu, vt quis orationem vel ex parte, vel totam iusta urgente causa intermittat, cauendum erit ne obliuiscatur damnum hoc alia eiusdem diei hora si fieri potest, refarcire: quemadmodum si quis à consueta prandij hora præpeditus fuisset, non obliuisceretur postea refectionem sumere.

4. TEMPVS maximè aptum meditationi siue orationi mentis, est media nox, propter eius ingentem quietem & silentium. Proximas vero ab hoc partes obtinet Matutinum, statim videlicet post somnum, priusquam manus alteri operi, aut studijs admoneantur. Etenim, Christo admonente,

monente, primum quærendum est *Matt. 6.*
regnum Dei. Post matutinum tēpus,
 nullum conuenientius vespertino,
 paulò nimirum ante cœnam.

5 **T E M P V S** quoque aptum orandi
 & meditandi est, quando sponsus a-
 nimam intus vocat, & gratia sua vs-
 que adeo præuenit, vt se quàm ma-
 ximè ad orandum & contemplandū
 dispositam sentiat. Similiter quādo
 anima ingenti cupiditate ac deside-
 rio meditationibus incumbendi fla-
 grat, non aliter atque cum corpus
 cibi appetitu ducitur.

6. **F E S T I V I S** & solennibus etiam
 diebus magis orationi & contem-
 plationi insistendum est: imo ijs die-
 bus si fieri posset, nihil aliud agendū
 foret, quia eam ob causam ordinati
 & instituti sunt. Et quanto solenni-
 tas siue mysterium, quod agitur ma-
 ius est, tantò magis sancto huic ex-
 ercizio se quisque deberet tradere
 atque addicere.

L O C V S.

L O C V S idoneus ad meditatio-

F **nem**

nem diligendus est: is autem tantò erit aptior, quantò secretior, & ab omnibus externis tumultibus remotior. Docent nos id sacræ pagine tum in veteri, tum nouo testamento: *Ducam eam*, inquit Deus per Prophetam Oseæ, *in solitudinem & loquar ad cor eius*. Et Christus in Evangelio: *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito*. Quæ sententia quamuis spiritualiter possit intelligi, vt sit sensus. Ingredere teipsum, & clauso cordis tui ostio, omnes à te alias occupationes exclude: attamen nemini dubium est, quin etiam iuxta literam accipi queat. Quamobrem ostia claudēda sunt, ne ab aliquo superueniente turbemur: fenestræ quoque, quoniam loci obscuritas non parum hæc mentis exercitia promouet.

LOCVS adhæc orationi & contemplationi valdè idoneus est, Ecclesia siue sacellum consecratum,
modò

modò absit tumultus omnis: maxime
si augustissimum Altaris sacramen-
tum ibidem expositum fuerit.

Quamuis consultum foret, quem-
libet habere domi suæ deuotum ali-
quod oratorium, in quo ab alijs se-
questratus, sua peragere valeat de-
uotionis exercitia.

CONTRITIO ET CASTIGA- tio Corporis.

AD Orationem rectè faciendam
non parum momenti adferre
pœnitentia, partim interior, quæ est
contritio, compunctio, & dolor de
peccatis; partim exterior quæ nihil
aliud est, quam carnis per ieiunia, di-
sciplinas, cilicia, aliasque austerita-
tes, mortificatio, vt spiritui obtem-
perans & morigera efficiatur. Quan-
tò autem quis duo hæc pœnitentiæ
genera amplius dilexerit, tantò ma-
iorè in orationib. & meditationibus

F 2 suis

fuis profectum sentiet. Cum è contrario fieri non possit, vt is qui earũ amator non est, benè precetur, aut aliquẽ in exercitijs spiritualibus progressum faciat. Etenim oratio & mortificatio ita sibi inuicem sociantur, vt separari nequeant. Cauendũ tamen ne quis inconsulto Patre suo spirituali, solo voluntatis suæ arbitrio ea assumat.

ABSTINENTIA.

INTER pœnitentias exteriores nulla ad rectè orandum & meditando adiuuenti plus adfert, quam ieiuniũ & abstinentia: cui proprium est mentem expedite in Deum eleuare, quemadmodũ S. Ecclesia in Quadragesimali præfatione canit. Præsertim cum ipsi in nobis experiamur, corpore cibus repleto, spiritum ad functiones suas ineptũ reddi. Quamobrè quisquis Deo per orationem & contemplationem vñiri desiderat, necesse est vt in cibo

ac potu sobrius sit, maximamque curam habeat quantitatis, qualitatis, & methodi in manducando, ut nimirum sensualitatem, quoad fieri potest, reprimat & mortificet; sibiq; certo persuadeat, (uti vero verius est) hominem sensuum & carnis solatia captantem nunquam eò peruenturum, ut orationis ac meditationis praxin ritè perdiscat; cum caro & spiritus sibi è diametro aduersentur. Hæc autem sobrietas in cœna maximè requiritur, ut animus matutinis horis ad deuotionis exercitia sit liberior.

*SILENTIVM ET CVSTODIA
sensuum.*

NON minus necessaria est ad ritè meditandum mortificatio & iugis custodia linguæ, cæterorumque sensuum, maxime visus & auditus. Etenim curiositas videndi & audiendi distractionis origo est, deuotionemque mirum in modum

F 3 impe-

impedit : nimia verò in loquendo effusio multò adhuc ampliùs : sicut è contrario taciturnitas , & non sollicitari de videndis & audientis, quæ ad nos nihil attinent , maximoperè deuotionem promouet. Quapropter qui in sancto orationis exercitio fructum aliquem facere desiderat, maximam ponet diligentiam in obfirmandis portis, oculorum, oris, & aurium , vt quoad fieri potest, ita viuat, quasi mutus, cæcus, & surdus existat.

SOLITVDO, RECOLLECTIO
& orationes iaculatoria.

PROPTER eandem causam, præcipua ad rectè orandum & emendandum præsidia atque adiumenta sunt, solitudo & recollectio sui ipsius, id est, abstractam vitam agere, cellam suam diligere, nec amplius cū hominibus quam necessitas exigat, conuersari. Non parum quoque

que utilitalis meditati adferet, si apud se manere, atque præsentiam DEI assidue cogitare, etiam in medijs externis occupationibus consuescat, & hunc in finem orationibus iaculatorijs, sæpenu-
 rō vtatur. Etenim hoc agendo, tem-
 pore orationis adueniente, vix alia
 egebit dispositione; cum è contra-
 rio is qui in multa distractus est,
 hora orationis impendente, maximo
 labore cogitationum innumerabi-
 lem turbam, qua mens eius oppri-
 mitur, vix possit excludere.

OCCUPATIONVM MUL-
 titudo.

EARVM rerum quæ oratio-
 nem ac meditationem non
 mediocriter præpediunt, vna
 est, occupationum, siue negotio-
 rum qualiacunque illa sint, nimie-
 tas: in quibus dum homo disten-
 ditur, tempus irreuocabile præte-
 rit, distractio animum ingreditur,

F 4 & mens

& mens ad spiritualia prorsus arida redditur.

Quia in re tartareus hostis non minus sæpè quàm perniciosè quam plurimos Dei seruos præposterè relasos decipit, quos in extrinsecis huiusmodi negotijs plus æquò facit occupari, atque interim sui ipsorum obliuisci, vel vt minimum salutem propriã, & spiritus profectum illis postponere, sub specie siue prætextu diuini honoris, salutis animarum, charitatis & obedientiæ: nec aduertunt miseri, se vehementer errare, atque charitatis & naturæ ordinem, quo nosmetipsos magis quam alios diligere tenemur, inuertere. Ac proinde unicuique prouidendum erit, vt à diabolica hac circumuentione sibi quàm maximè caueat, neque nimis se negotijs oneret, vt temporis aliquid orationi ac meditationi dare queat.

PAX INTERIOR.

QUEM AD MODVM refrenatio
& mortificatio sensuum exter-
norum

horum ad rectè orandum, vti supra diximus, omnino necessaria est: itaque quoque mortificatio internarum passionum: vt meditans caueat sibi ab omni inquietudine, turbatione, molestia, & omni affectione inordinata erga quamcunque creaturam, atque semetipsum in vera pace & tranquillitate spiritus conseruet, illumque tati faciat, vt pro nulla re aut euentu mundi illius iacturam pati cupiat: Quia scriptum est: *Factus est in pace locus eius.* Et aqua si turbata fuerit, nihil in ea cerni potest. *Psal. 79.*

**LECTIO SPIRITUALIS ET
bona corporis dispositio.**

Spiritualis lectio meditationem & orationem mirificè promouet atque idcirco vnicuique ad manum esse deberent libri spirituales, quibus iuxta suam commoditatem & necessitatem stans temporibus vteretur. De his paulo post latius suo loco dicetur.

Sanitas verò & bona corporis dispositio, ita ad exercitiū hoc requiritur,

F S

ritur,

ritur, vt nihil ferè æquè sit necessarium. Etenim si corpus, quod est animæ instrumentum, in functionibus suis, languet, anima nunquam poterit rectè orare aut meditari: quemadmodum scriptor, si penna malè aptata sit, nunquam poterit litteras benè pingere. Maximè verò curandum est, vt caput benè se habeat.

DISCRETIO CVM RECTA
intentione.

QUAMVIS ad sanctum hoc orationis & meditationis exercitium, oporteat omnem diligentiam possibilem adferre, totum studium huc conferendo, vt omnia ad illud requisita singulatim obseruemus: nihilominus cauendum erit ab omni violentia indiscreta animi vel corporis, quæ nihil aliud est quam illusio diabolica, quo nos per indiscretionem debilitatos, postea ab orationis exercitio abstrahat: qualis est, lachrymas violenter exprimere

mere, genibus flexis vsque ad notabilem corporis fatigationem manere, & alia eiusmodi. sed oportet se suauiter & humiliter gerere, atque cum Propheta dicere, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Præterea ad hoc exercitium, uti ad alias actiones omnes adferre oportet, bonam & sanctam intentionem, ut non quærat quis semetipsum, vel gustum & consolationem suam, sed purum Dei honorem ac beneplacitum.

SIMPLICITAS, HUMILITAS,
reuerentia, & puritas con-
scientia.

SIMPLICITAS debet esse orationis focia, ut non quærat quis subtilia, & curiosa in meditatione, uti sunt elegantes conceptus, vel insolitæ visiones: quia Deus cum non curiosis, sed cum simplicibus esse & conuersari amat. *Et cum simplicibus sermocinatio eius.* Adde quod simplices ad orationem & meditationem videantur esse quam maximè apti, & diuinarum illustrationum capaces.

Prou. 3.

HUMILITAS quoque & reuerentia tum exterior tum interior meditato est necessaria, qua se coram Deo, animo & corpore, adhibita nihilominus supradicta discretionem prosternat, recordeturque se consistere in praesentia diuinæ Maiestatis, qua nihil maius aut melius cogitari potest, vti supradictum est.

AD HAEC oratio maximam requirit conscientiae puritatem & vitae sanctimoniam. *Beati enim mundo Matt. 5., corde quoniam ipsi Deum videbunt.* Atque hinc fit, quod, qui laxae sunt conscientiae, & leuiore defectus euitare non curant, nunquam in oratione aut meditatione profectum aliquem facturi sint.

COLLATIO CVM ALIIS, PRÆPARATIO, & perseverantia.

AD rectè orandum non parum confert, sæpenumero cum alijs de rebus spiritualibus, & ad deuotionem spectantibus tractare, & sermonem conferre. Huiusmodi enim collationes siue sermocinationes animum
in,

inflāmant, vti ex duorū discipulorū
 in Emaus euntiū, & partim inter se, *Luc. 24.*
 partim cum Christo seruatore, de
 Redemptionis nostræ mysterio con-
 ferentium exemplo patet. Nam qui-
 bus delectabile est, pijs huiusmodi
 colloquijs neglectis, de alijs rebus
 omnibus confabulari, nunquam ad
 rectè orandi aut meditandi gratiam
 peruenient.

DENIQUE vt semel finiam, duo
 sunt maximè præ alijs omnibus, ei
 qui in hoc meditationis exercitio
 insignem progressum facere deside-
 rat, necessaria præparatio diligens
 ante orationem, de qua suo loco.

Et perseverantia: vt nimirum ex-
 ercitationem hanc eximiam quidem
 & necessariam, verum arduam &
 difficilem, cum ingenti in Deum fi-
 ducia, & sui ipsius diffidentia, vsque
 ad extremum vitæ suæ diem ita con-
 tinuet, vt nullis difficultatibus qua-
 lescunque tandem illæ sint, ab ea se
 deturbari patiatur. Ad quod facit il-
 la sententia Christi seruatoris di-
 centis. *Oportet semper orare & nun-*
quam deficere. *Luc. 18.*
 QVQ.

110 INSTRUCTIO
QUOMODO INSTITVENDA
fit mentalis oratio.

CAP. III.

ORATIO *mentalis* est colloquium siue fermocinatio interior animæ cum Deo, cui in spiritu omnes suas petitiones & necessitates, sine vlllo verborum strepitu exponit.

Eius autem instituendæ duplex est modus. Alter est quando anima per sese inuenit suspiria quibus Deum alloquatur: vt si intrinsecus ei dicat: *Benignissime Deus tot me beneficijs ornasti, quibus ego digna non sum &c: da mihi hanc gratiam &c:*

ALTER est, quando orationem aliquam vocalem, (vti est oratio Dominica, vel alia quæpiam, quam memoriæ commendauerit) à principio vsque ad finem, in spiritu secum ruminat, petitionesque in verbis orationis illius contentas, Deo offert.

IN Oratione, id est, quando cum Deo quis sermonem habet, tria vt plurimum facere oportet: gratias agere, petere, & offerre.

PETI-

PETITIO in duobus generatim consistit, nimirum in petitione indulgentiæ aut remissionis peccatorum: & alterius gratiæ, boni, virtutis, aut rei quam desideramus. Hæc autem omnia vt rectius fiant, eorum praxin & vsum breuiter monstrabimus.

QVOMODO REDDENDÆ
sint Deo gratiæ?

CAP. V.

VT Deo pro acceptis beneficijs debitiæ persoluantur gratiarum actiones, necessarium est, vt quisque duplicem beneficiorum Catalogum penes se habeat, aut memoriter teneat. Alterum generalium beneficiorum, quæ septem numerari possunt: puta: Creatio, Conseruatio, Redemptio, Fides, (id est, ad veram fidem vocatio;) Iustificatio, (quod nimirum Deus illum ad poenitentiam longanimiter expectauerit, reuerentem suscepit, ei que omnia peccata donauerit,) Communio sacratissimi corporis & sanguinis Christi, Vocatio ad diuinum seruitium.

Alterum

Alterum particularium, quæ sicut unicuique propria sunt, ita ab vnoquoque speciatim colligi debent. vt: quod de bonis & Christianis parentibus natus sit: quod optima sit corporis constitutione; quod a multis infirmitatibus & periculis animæ & corporis præseruatus ac liberatus fuerit &c. Quorum beneficiorum vnumquodque si quis paulisper secum expendit, satis magnam gratiarum agendarum & orationis continuandæ materiam inueniet. Generatim vero potest quisque gratias Deo agere: pro bonis naturæ, gratiæ, & acquisitis. Item pro bonis animæ, corporis, & externis.

DE PETITIONE.

CAP. VI.

IN petitione quatuor attendenda sunt puncta: nimirum; Quæ nobis petenda sint, Pro quibus, A quo, & Quomodo. Hæc autem omnia ritè seruare oportet, vt petitionum & votorum nostrorum compotes reddamur. Ea

Ea quæ nobis petenda sunt Orati-
 õis Dominica continentur; verum
 præter generales has Orationis Do-
 minicæ Petitiones, quæ quotidie à
 nobis in precibus primo loco po-
 stulandæ sunt, debet quilibet speci-
 alia quædam, sibi maximè necessa-
 ria petere, quæ vel singultim me-
 moria tenebit, vel Catalogum eorū
 conficiet, quo cum opus fuerit, in o-
 ratione mentali uti valeat. Exem-
 plum eiustale esse potest.

CATALOGVS PETITIONVM
specialium.

- Petere o-
 portet. {
1. *Gratiam* officio suo
 benè fungendi.
 2. *Tempus* utiliter ex-
 pendendi.
 3. *Status* & professionis
 suæ perfectionem appre-
 hendendi.
 4. *Vitium* aliquod supe-
 randi & imperfectiones
 extirpandi.
 5. *Virtutem* aliquam, qua
 maximè indiguerit, ac-
 qui-

quirendi, præcipuæ chari-
tatem, humilitatem, donū
orationis, vel fidei augmē-
tum, orando cum Apосто-
lis. *Domine doce nos orare,*
Et Domine adauge nobis fi-
dem.

LUC. 11.

LUC. 17.

QV ARVM RERVM PETEN-
da sit remissio.

CAP. VII.

DECET vnumquemque Christi-
anum generatim omnium pec-
catorum suorum dimissionem po-
stulare: vel ea in tres partes disperti-
ri ac petere dimissionem totius mali
quod fecit, boni quod omisit, & tem-
poris quod perperam expendit: Est
& alia generalis methodus: orare ni-
mirum veniam omnium malarum
cogitationum, verborum, & ope-
rum: & omissionem bonarum cogi-
tationum, verborum, & operum.

SP E C I A T I M vero poterit quis-
que mentis oculum ad hæc quatuor
conijcere: videlicet, ad præcepta Dei
& Ecclesiæ; ad septem peccata mor-
alia

talia ; ad tres animæ potentias ; ad quinque sensus corporis. Etenim in his omnia peccata, quæ homo in vita committere potest, comprehenduntur : & super vnoquoque horum punctorum paulisper mēte ratiocinari, atque speciatim dimissionem peccatorum contra hoc vel illud præceptum, in tali genere peccati, tali cum animæ potentia aut sensu externo, admissorum petere. Quibus peccata status & officij vniuscuiusque propria adiungi poterunt.

CATALOGVS EORVM PRO
quibus orandum est.

GENERATIM orare debemus pro omnibus, quemadmodum Christus Seruator noster in oratione Dominica quam nobis tradidit, euidenter demonstravit. Et speciatim pro singulis. Maximè vero pro necessitatibus sequenti Catalogo comprehensis.

I. Pro vniuersa sancta Catholica, Romana Ecclesia, nominatim pro sanctissimo Domino Papa.

2. Pro

2. Pro *haereticorum* ad Ecclesiae gremium reductione & infidelium conuersione.
3. Pro *toto Regno*, & nominatim pro *Rege*.
4. Pro *praelatis* omnibus Ecclesiasticis, & Principibus Christianis.
5. Pro nostris *superioribus*; Ciuitatum Gubernatoribus, & magistratibus.
6. Pro *benefactoribus* nostris uiuis & defunctis.
7. Pro *fidelibus animabus* in Purgatorij locis existentibus.
8. Pro *ijs*, qui curae nostrae commisi sunt.
9. Pro *inimicis* & *aduersarijs* nostris.
10. Pro nonnullis *uiuis* & *defunctis* speciatim, & pro *ijs* qui se orationibus nostris commendarunt.

HAEC autem oratio pro alijs, affirmante S. Chrystomo est acceptissima Deo, ad illam multis nominibus obligati sumus, ideòque nullo vnquam die negligenda.

Notandum quoque sicut pro alijs
ora.

oramus, ita nos etiam pro alijs gratias agere & offerre posse. Exempli causa. Possumus Deo gratias reddere pro cunctis beneficijs in omnes Angelos & homines, atque nominatim in Beatissimam Dei Genitricem collatis. Item, pro beneficijs in omnes Christianos, omnes Religiosos, in hoc Regnum, atque in priuatas quasdam personas effusis, considerando paulisper personas & beneficia singulatim, atque pro vnoquoq; gratias Deo agendo, non aliter ac si pro nobismetipsis gratias redderemus.

CATALOGVS PATRONORUM qui orandi sunt.

Condecés præterea esset, vt quisque sibi faceret Catalogum Patronorum specialium, quos summa cum animi deuotione quotidie inuocare consuesceret. Catalogus huiusmodi esse potest.

1. Beatissima VIRGO MARIA.
2. ANGELVS noster tutelarior.
3. SANCTVS, cuius nomen quis gerit.

4. SAN-

4. SANCTI ET SANCTAE ad quos maiori deuotione afficitur, quos ad suum arbitrium quisque poterit deligere.

5. SANCTVS siue Patronus loci in quo viuit, & Angelus, cui loci eius cura commissa est.

6. SANCTI diei præsentis.

Religiosi poterunt his quoque annumerare primum Ordinis sui Institutorem.

QUOMODO NOS OPORTET petere.

VT ea quæ petimus facilius & expeditius assequamur, tria hæc non parum momenti adferent. *Primum est*, si in petendo tres Theologicas virtutes actu exerceamus: Fide; considerando Deum omnia posse. Spē; Considerando summā illius bonitatem, atq; inde desiderium & fiduciam petitionis nostræ obtinenda concipiendo, Charitatem; postulando ea duntaxat ad purum Dei honorem, & nostram proximorumque salutem. *Secundum est* in petendo uti obse-

obsecrationibus, qualibus in Litanijs
& supplicationibus Ecclesie vtimur.
Tertium est, adijcere quoque sancto-
rum merita & intercessionem, qui
ea quæ nos haudquaquam meremur,
facilius nobis impetrare possint.

*QVID DEBEAMVS OF-
ferre & quomodo.*

OFFERRE nos oportet Deo
cuncta quæ nobis largitus est,
& indies largitur: esse, vitam, ani-
mam, corpus, bona externa, cogitati-
ones, verba, opera. Item, Unigeni-
tum ipsius Filium, præciosissimum e-
ius sanguinem, passionem, mortem,
merita, actiones. Item omnia bona
opera Beatissimæ Virginis Mariæ,
sanctorum & electorum omnium,
atque totius Ecclesie à mundi exor-
dio.

Omnia vero hæc possumus offer-
re cum pro nobismetipsis, tum pro
alijs, generatim & speciatim, eodem
modo, quo dictum est, de gratiarum
actione & petitione.

Sunt

Sunt igitur ea quæ diximus quoad gratiarum actionem, Petitionem & Oblationem pro nobis & alijs faciēda mentaliter. Nam de hac orationis specie nobis modò sermo est. Continentque eadem elegantissimum modum, in oratione longo tempore perseverandi.

Notandum quoque hæc agenda esse certis horis diei, vt, statim post matutinam meditationem, vel sub sacrificio Missæ, vel alio tempore congruo, idque seruato conuenienti ordine, ne quis hæreat, aut tædio affectus propositi sui obliuiscatur; Nam posteaquam exercitium hoc aliquādiu continuauerit & quasi in cōsuetudinem verterit, nullam postea amplius experiētur difficultatem.

Ea quæ de oratione mentali restant, paulò post, cum de colloquio agemus, tradentur.

DE ORATIONE MIXTA.

CAP. VIII.

ORATIO MIXTA ea proprie
dicitur

dicitur (quemadmodum supra explicuimus) quando partim mentaliter partim vocaliter oramus: vt si post mentalem pro animabus fidelium defunctorum precem, vocalem orationem *Fidelium* quis subiungat. Hic autem orandi modus, meditatione siue Oratione mentis facilius est: adeoque vsurpari potest, quoties quis ad meditandum, propter quandam animi vel corporis indispositionem, ineptus est.

Porro hac orandi methodo vti quis potest, *Primo* circa præcepta Dei & Ecclesiæ. Exempli causa; Potest primum decalogi præceptum assumere, & secum expendere, quam malè hætenus illud seruauerit, reducendo sibi in memoriam peccata quæ contra præceptum illud admisit, illorumque veniam ac dimissionem mentaliter postulare, ac deinde orationem Dominicam vocaliter subiungere: similiq; methodo in reliquis præceptis vti.

2. Circa septem peccata mortalia; vbi eodem modo quoad singula procedet,

G

cedet,

cedet, atque à primo superbiæ peccato ordietur, vbi posteaquam peccata, quæ in hoc genere designauit, paulisper sibi in mentem redegerit, eorumque veniam à Deo precatus fuerit, Oratione Dominica vocaliter adiecta, precem suam cõcludet.

3. Circa tres animæ facultates, memoriam, intellectum & voluntatem, in quibus eandem methodum mentaliter & vocaliter orandi adhibebit, vbi prius secum reuoluerit; Cur illi Deus (exempli gratia) memoriam donauerit, & peccata quæ admisit, non vtendo illa ad finem, ad quem Deus eam largitus est. Simili modo fiet de intellectu & volûtate.

4. Circa quinque sensus corporis, visum, auditum, gustum, odoratum & tactum.

5. Eadẽ methodo Religiosus quilibet vtipotest circa Regulas Ordinis atque officij sui: & quilibet alius poterit eandem non minus vtiliter quam faciliter statui & officio suo applicare.

Aliud Orationis huius mixtæ exemplum

plum infra reperies cap. 34. remedio septimo aduersus distractiones.

D E O R A T I O N E V O C A L I.

C A P. I X.

ORATIO *vocalis* duplex est, vna publica, id est, horæ canonicæ, & psalmodiæ: altera priuata, qualis est, officium B. Virginis, Rosarium, Corona, &c. Ad primam Ecclesiastici & Religiosi omnes obligantur: altera vt plurimum est deuotionis, nec quenquam obligat, nisi ratione poenitentia à confessario iniunctæ, vel statuti, vel voti ad eam teneatur. Ad vtramque adferre necesse est debitam præparationem, atque attentionem, tria hæc obseruando.

1. Vt, priusquam orans illam auspicietur, semetipsum prius paulisper ingrediatur, & colligat, atque cor ad Deum eleuando, ei opus bonum quod aggreditur, ad purum ipsius honorem & gloriam offerat, & roget, vt sibi auxilio esse, mentemque in se vno stabilire velit. Quem

in finem subiungere poterit orationem. *Actiones nostras, &c.*

2. In progressu orationis duo faciendū sunt: alterum est, verba omnia distinctè, sine festinatione nimia pronunciare: alterum, per interualla, uti ad finem vniuscuiusque Psalmi, dum dicitur *Gloria Patri &c.* vel in Rosario ad finem singularum decadam, attentionem renouare, id est, si animus distractus est, eum colligere, & à Deo negligentiae huius veniam precari, inceptamque orationem, noua cum deuotione prosequi.

3. Absoluta oratione, reddendae erunt Deo gratiarum actiones, & defectuum in ea commissorum veniam humiliter flagitanda.

A L T E R perelegans orationis vocalis modus hic est: Recitare orationem Dominicam, (quod de omni quoque alia vocali oratione intelligi potest:) idque lentè & suauiter & in pronunciandis singulis verbis tantum temporis interponere, quanto durat halitus naturalis hominis, ita ut verba sequantur vel comiten-

tur

etur anhelitum : atque dum foris profertur verbum, intus considerare verbi huius significationem, vel personæ cui loquimur excellentiam, ac maiestatem, & nostram è contrario vilitatem. Quilibet tantum temporis orationi huic impendere poterit, quantum volet, recitando vnam vel plures orationes, vel vnam eandemque pro libitu sæpius repetendo.

Hic orandi modus elegans, facilis, deuotione plenus, nec distractio- ni valdè obnoxius est, ideoque à nobis sæpenumero ad vsum adhibendus esset, non quidem in recitandis horis Canonicis vel Rosario, quoniam nimia, ad hoc temporis morare. quireretur: sed in recitanda minimū vna oratione Dominica, & salutatio- ne Angelica, iuxta hanc methodū, idque sub finem quotidianæ medita- tionis, post absolutum mentaliter colloquium.

Quando aliquis in itinere consti- tutus est, vel nō habet illam oppor- tunitatem, vt commodè meditatio- ni possit incumbere, tum conueniē-

ter vti poterit hac orandi methodo, quę facillima est, atque etiam ambulando perfici potest.

Supplicationes S. Matris Ecclesię, quas Litanias appellamus, ad orationem quoque vocalem pertinent, & elegantem quandam orandi methodum, antiquitate venerabilem, atq; Christiano homini maximè conuenientem complectuntur. Habent enim primo sanctorum inuocationē, deinde petitiones cum obsecrationibus, pro nobis & proximis nostris viuis ac defunctis, & pro omni statu Ecclesię: ideoque à Christifidelibus frequentari deberent.

Orationes denique, quas vulgari nomine Collectas vocant, optimę, pijsimę, atque sanctissimę sunt, quas ad vsum quisque deberet adhibere, cum specialem aliquam gratiã petere, aut pro impendenti aliqua necessitate, vti pro pace, pro infirmitatibus auertendis, pro itinerantibus, &c. orare proponit. Orationes huiusmodi in Missalibus & Officijs S. Virginis quęrendę erunt.

Bozum

Bonum quoque est, dum sanctum aliquem inuocamus, orationem siue collectam Sancti illius propriam recitare, ac Deo offerre, vel si propriam non habeat, de communi eam mutuari.

D E R O S A R I O.

C A P. X.

INTER omnes orationes prima & præcipua est oratio Dominica; quã proximè excipit Salutatio Angelica. Vt propterea (omissis alijs causis) Rosarium & Corona B. Virginis, quæ ex binis hisce orationibus constant, inter optima orandi genera recenseri debeant.

Vt autem piè & utiliter Rosarium recitetur, primùm obseruanda sunt tria illa, quæ paulò ante in omni oratione vocali seruãda esse monuimus. Deinde necesse est, vt dũ recitãtur salutationes Angelicæ, mens in realiqua bona & salutari stabiliatur, quales sunt: Mors, infernus, gloria cælestis: maximè verò redemptio-

nis nostræ mysteria in vita Christi & & Beatiss. Virginis contenta. Atque hinc est, quod S. Dominicus ex iisdem mysterijs quindecim, quæ mysteria Rosarij appellauit, elegerit: totique mundo, vt ea in recitando Rosario ad vsum adhiberent, persuaserit. Sunt autem hæc.

MYSTERIA ROSARII.

QUINQUE GAUDIOSA.

1. *Annunciatio Angelica.*
2. *Visitatio B. Virginis.*
3. *Natiuitas Christi.*
4. *Presentatio eius in templo.*
5. *Inuentio illius inter Doctores.*

QUINQUE DOLOROSA.

1. *Oratio & agonia Christi in horto.*
2. *Eius flagellatio.*
3. *Illius spinea coronatio.*
4. *Eiusdem crucis p̄derosissima baiulatio.*
5. *Illius crucifixio & mors.*

QUINQUE GLORIOSA.

1. *Christi Domini nostri Resurrectio.*
2. *Illius in cælos ascensio.*
3. *Spiritus S. Missio.*
4. *Beatiss. Virginis assumptio.*
5. *Eiusdem coronatio.*

Praxis

Praxis & modus recitandi Rosarium cum his quindecim mysterijs, est duplex. Alter est, sub vnaquaque decade (quæ vnam orationem Dominicam, & decem salutationes Angelicas complectitur:) considerare vnum mysterium, id est, dum oratio Dominica & decem salutationes Angelicæ recitantur, mysterium istud mentetrahere: exempli causa, sub prima decade, Annunciationis mysterium animo reuoluere, atq; Gabrielem Angelum, cum Beatiss. Virgine sermones miscentem attendere, eorum colloquia auscultare, &c.

Alter est, ad vnumquodque mysterium, vnicam tantummodo salutationem Angelicam applicare: id est, considerando verbi gratia, mysteriū Annunciationis, vnam tantummodo salutationē Angelicā recitare, deinde expendēdo mysteriū visitationis itidem vnam, & sic consequēter: atque quindecim hæc mysteria toties repetere, donec totum Rosariū absolutum fuerit.

Posset quoque aliquis sibi colligere

G s gere

gere 50. vel 63. myſteria, ex vniuerſis myſterijs & actionibus vitæ Chriſti Domini & ſeruatoris noſtri, ab An- nunciatione, vſq; ad glorioſam ipſius in cęlos aſcenſionem: atq; ad ſingula vnā ſalutationem Angelicā recitare, modò poſt ſingulas decades Oratio- nem Dominicam interponere me- minerit.

*Alia methodus recitandi
Rosarium.*

S V N T quidem & alij quamplū- rimi modi Roſarium recitandi, at nobis ſatis erit vnum tantummodo adhuc adieciſſe, qui conſiſtit in pec- catis, & quatuor hominis nouiſſimis conſiderandis, ac talis eſt.

Imaginari oportet Roſariū, quod manu geſtatur eſſe coloratum, & ho- ſce colores repræſentare nobis ma- teriam, quam in recitando Roſario volumus mente reuoluere.

Imaginare igitur *primam* decadē granorum Roſarij eſſe diuerſorum colorum, albi, nigri, rubri, viridis, ſaui, &c. *ſecundam* coloris pallidi.

Ter:

Tertiam rubri. *Quartam* nigri. *Quintam* aurei. Id est: In recitanda *prima* decade, quæ est diuersicolor, reduc tibi in memoriam multitudinem & diuersitatem peccatorum tuorū, quæ in omni vita tua commisisti, eorum- que veniam a Deo, per Beatiss. Virginis interuentionem flagita. In *se- cunda* decade, quæ pallida est, mor- tem animi tui oculis repræsentat. In *tertia* decade rubra, tremendum no- uissimi diei iudicium tecum expen- de. In *quarta* decade nigra, poenas damnatorum in Inferno cogita. In *quinta* decade aurea, Gloriam cæle- stis Paradisi mentis oculis contem- plare.

Qui voluerit hac methodo legere Coronam B. Virginis, constantem 63 salutationibus Angelicis, poterit *sextam* decadem coloris argentei adijcere, atque in ea Beatiss. Virginis nitidissimam puritatem meditari.

HAC methodo Rosarium legere, spectat ad vocalem orationem, cui utiliter mentalem quis posset adijce- cere, si in principio aut fine vniuscui-

G 6 iusque

iusque decadis paulisper in meditatione mysteriorum eiusdem decadis subsisteret, eaque breuiter secum consideraret.

DE ORATIONIBVS
iaculatorijs.

CAP. XI.

Epist. 121
ad Probū

S Augustinus Orationes iaculatorias appellat, breues quasdam preces siue eleuationes mentis in Deum, qualis hæc esse potest. *Deus in adiutorium meum intende.* Hæ autem orationes possunt esse mentales, vel vocales. Mentales sunt, quando Deum intrinsecus ad opem nobis ferendam inuocamus, atque in spiritu sensum huius sententiæ proferimus. *Deus in adiutorium meum intende.* Vocales sunt quãdo eadem verba ore pronunciamus. Sunt autem orationes hæcutilissimæ, tum ad fouendam deuotionem, & cogitandam assiduam Dei præsentiam, tum ad perficiendum id quod Christus in Euangelio, ait: *Oportet semper orare & non deficere.* Ut propterea mirandum non sit, quod

de

de S. Bartholomeo Apostolo, alijsq;
 Sanctis, orationi addictissimis, vti de
 S. Martha, S. Apollonio Abbate &c.
 legitur, eos intra diem & noctē du-
 centies orasse; Etenim id facillimum
 est, tantū abest vt impossibile sit, per
 orationes hasce iaculatorias, siue
 mentales, siue vocales, cū oratio ni-
 hil aliud sit, quam mentis in Deum e-
 leuatio, quod quinquagies vnus ho-
 ræ spatio fieri potest: Adde quod o-
 ratio Dominica, idcirco nobis tanta
 cum breuitate à Christo tradita fu-
 erit, vt Christianus omnis eam cen-
 ties quolibet die, modò velit, offer-
 re possit.

QVIS QVIS igitur spiritualem
 vitam sectari desiderat, operam dare
 debet, vt ad orationes huiusmodi ia-
 culatorias consuescat: quarum vt il-
 li tãto expeditior recordatio sit, po-
 terit ad singulos horologij sonitus,
 orationem aliquã iaculatoriã corde
 & ore si solus est, proferre, vel si in
 aliorum existit societate corde tan-
 tum. Ad quod non parum proderit,
 si sententias quasdam insigniores ex

Psalms, alijsq̄ue S. Scripturæ libris selectas habeat, quarum vnam quotidie varietatis causa assumat, & toties quoties necesse fuerit, frequētet.

Et quoniam Oratio Dominica est verè panis noster quotidianus, nō inutile erit pro orationibus iaculatorijs septem petitiones in ea contētas assumere, earumq̄ue singulas singulis hebdomadæ diebus frequentare: ita vt diei Dominico respondeat petitio illa. *Sanctificetur nomen tuū: Feriæ secundæ. Adueniat regnum tuū,* & sic consequenter. Vbi nota, obsecro, perfectionem & excellentiam diuinæ huius precis, quæ ad omne orationis genus deferuire potest, videlicet, ad mentalem, vocalem, mixtam, iaculatoriam &c. Seruit namq; oratio Dominica. 1. ad mentalem, si mente sola petitiones in ea contentæ, Deo offerantur.

2. ad vocalem, quando ore profertur.

3. ad mixtam, si primum ruminetur mente, deinde ore pronuncietur.

4. ad orationes iaculatorias, si eo modo

modo, vti iam diximus, ad vsum adhibeatur.

5. Ad meditationem, quia pulcherrimam meditationi materiam subministrat, vti paulo post docebimus.

Ex omnibus autem his orandi modis, alij alijs sunt accommodatiores, imò vni eidemque personæ alio atque alio tempore, iuxta corporis & animi eius dispositionem, modo hic, modo alius orandi modus magis placebit. Nam corpori languido aut fatigato, cum haudquaquam conueniant longæ meditationes, utilior erit vocalis oratio. Et ei qui in itinere constitutus est, nihil conuenientius oratione mixta, vti supra dictum est.

DE LECTIONE SPI-
rituali.

CAP. XII.

QVANDO QUIDEM clarum atque perspicuum est sacrorum librorum Lectionem utilissimam, atque orationis indiuiduam comitem esse: nam inde quotidiana experientia

tia

tia cernimus eos, qui orationis exercitium diligunt, lectionis quoque spiritualis præcipuos amatores esse: idcirco ea tantum hoc loco annotabimus, quæ ad lectionem utiliter instituendam, momenti aliquid adferent.

Primum documentum versabitur circa libros, qui legendi sunt. Itaque legenda erit S. Scriptura, maximè vero libri quatuor euangeliorum, Epistolæ Paulinæ, & Canonice omnes. Ex veteri autem testamento, liber Iob. Prouerbia, Ecclesiastes, & Sapientia Salomonis. Ecclesiasticus. Post sacram scripturam legendi quoque erunt alij spirituales libri, quorum optimos quosque in sequenti catalogo breuiter annotauimus.

2. Leget quisque libros palato suo maximè seruietes, atque ex quibus maiorem se utilitatem referre intelligit: ac proinde plures degustare, & ex illis deinde aliquos sibi accommodatiores deligere potest.

3. Ne autem in librorum electione fallatur, consilium Patris sui spiritua-

ritua-

ritualis super hac re inquiret.

4. Cauebit ne in legendo instabilis sit, & modò hunc, modò alium librum legendum assumat, sed vnum aliquem à principio ad finem vsque continuet. Quamquã inficias ire non possim, aliquando ad tædium euitandum, vel tentationis alicuius occasione, vel quia tum ad talem lectionem animus hominis magis dispositus est, librum mutari oportere: sed tum post illam lectionem ad priorem librum continuandum, statim redeundum erit.

5. Expediens quoque est lectionem meditationi conformare: id est, lectionem aliquam de eadem materia, de qua meditatio instituenda est, legere.

Secundum documentum erit, de legendi methodo. Primò igitur, oportet ad lectionem accedere cum intentione recta, nec legere propter solam curiositatem, aut merum sciendi desiderium, vel vt linguam tantummodo expoliamus, sed vt animum ad deuotionem excitemus,
atque

atque in spiritu proficiamus.

2. Non nimis festinanter, sed lentè ac deuotè legendum est, ac verba quæ leguntur masticanda & ruminanda.

3. Si in elegantem & vtilem aliquam sententiam incidamus, paulisper ibi subsistendum erit, & ea cum animo aliquantulum expendenda, adiecta etiam breui aliqua prece.

4. Elegantiore sententiæ memoriæ mandandæ, aut breuiter in libello separato annotandæ sunt, vt cum opus fuerit depromi, & ad vsum adhiberi valeant.

Tertium documentũ docebit quãdo lectioni insistendum sit.

Legendum igitur erit 1. quando animus hominis magnum ad læctionem appetitum, siue inclinationem sentit.

2. Quando mens arida & deuotionis expers est.

3. In festiuitatibus lectioni diutius est incumbendum.

4. Ante & post sacram communionem vel Missæ celebrationem.

5. Non

5. Nonnunquam etiam ante orationem & meditationem, vt animus ad deuotionem excitetur, & meditandi materiam inueniat.



CATALOGVS LIBRORVM
*Spiritualium qui omnibus maxime
vtilis sunt.*

CAP. XIII.

Thomas de Kempis, *de imitatione Christi.*

Meditationes S. Augustini, & S. Bernardi.

Stimulus diuini amoris S. Bonauenturae Meditationes eiusdem in vitam Christi.

Opera omnia Ludouici Granatensis, speciatim, Exercitia illius spiritualia. Maior & minor Dux peccatorum.

Memoriale vite Christianae, vna cum Adiunctis. Vera semita perueniendi ad gratiam Dei. Doctrina vite spiritualis.

Speculum humanae vite. Tractatus de poenitentia & scrupulis conscientiae, de mysterio incarnationis; de confessione & communiione &c.

R.P.

R. P. Ludou. de Ponte è Soc. Iesu, opus
 insigne meditationū de precipuis si de
 nostra mysterijs: Vita, & Passionis D. N.
 Iesu Christi, & B. V. Mariae, Sanctorū ūq;
 iuxta historiae Euangelicae seriem: In
 quo & de quatuor nouissimis plene
 tractatur. Nunc recenter ex Hispani-
 co in latinum translatum à R. P. Mel-
 chiore Treuinaio eiusdem Societ. Ie-
 su Religioso.

Eiusdem dux vitae spiritualis.

Innocentius III. de contemptu mūdi.
 Dyonisius Carthusianus de quatuor
 nouissimis.

Vita sanctorum.

Opuscula Caspari Loartes è Soci-
 etate Iesu. nominatim haec. Medita-
 tiones de quindecim mysterijs Rosarij.
 Meditationes in Passionem Christi.
 Afflictorum consolatio Exercitium vitae
 Christianae. Remedia aduersus pecca-
 ta &c.

Alberti Magni, Paradisus animae, &
 libellus de adhaerendo Deo.

Bartholomæi Saluccij Lux animae
 ad perfectionem anhelantis. Paradi-
 sus contemplatiuorum, & Schola
 diuini

diuini amoris.

*Petri Alcantaræ instructio meditan-
tandi.*

*Cacciaguerra de communionē, &
Tribulationē, cū epistolis spiritualibus.*

*Marthias de Salo Capuccinus de ora-
tione mentali. Scintilla diuini amoris
Petri Aurati, cum alijs eius opusculis.
Exempla M. Maruli.*

*Historia miraculorum Beatæ Virginis
Lauretanae, & B. Virginis de monte
Serrato.*

Opuscula P. Fuluij Androtij.

*Meditationes Vincentij Bruni de
vita Christi.*

*Fran. Arias de imitatione B. Virginis,
de profectu spirituali, de mortificatio-
ne, de oratione mentali.*

*Christiana Institutiones Fran. Costeri,
& precatōnes vna cū meditat. in Euā-
gelii totius anni. Eiusdem meditationes
in Passionem Christi, & vitam B. Vir-
ginis, Ave Maris stella, & hymnum
Salve Regina.*

Luca Pinelli opuscula spiritualia.

Didacus stella de vanitate mundi.

*Practica spiritualis Francisci Bo-
naldi*

naldi, & eiusdem stella mystica.

Manuale exercitiorum spiritualium
Andræ Capellæ Carthusiani, vna cū
Meditationibus illius in Euangelia to-
tius Anni.

Vita B. Patris Ignatij Loiola.

Vita B. P. Francisci Xauerij.

Vita Patris Iacobi Laynetz.

Vita B. Aloisij Gonzaga. & Stanislai
Kostka.

Vita P. Francisci Borgia vna cum
eis opusculis.

Qui autem libri Religiosis maximè cō-
ueniant, indicauimus superiore tra-
ctatu de perfectione Reli-
giosa, Documento
secundo.



DE MEDITATIONE.

CAP. XIV.

INitio tractatuli huius diximus, duo ad rectè meditandum esse necessaria; materiam videlicet meditationis: & methodum meditandi: de quibus nunc specialius differendum ut utrique rei provideatur.

MATERIA MEDITATIONIS
id est,

*Quae potissimum in meditationem
sint assumenda.*

1. *Quatuor nouissima, mors, iudicium, inferni supplicia, & caelestis gloria.*
2. *Mundi vanitas, & presentis vitae miseria.*
3. *Peccata vitae antea acta.*
4. *Vita, Passio & Mors Domini & Seruatoris nostri Iesu Christi: mysteria quoque sanctissimi Eucharistiae Sacramenti, ab eo in horum memoriam instituti.*

s. Dei

5. *Dei beneficia*
6. *B. Virg. Maria & Sanctorum omnium.*
7. *Virtutes & vitia.*
8. *Liber Creaturarum.*
9. *Diuinae perfectiones, quæ à Theologis attributa nominantur.*
10. *Sacra scriptura vniuersa, speciatim sacrosancta quatuor Euangelia & Psalmorum liber.*
11. *Oratio Dominica, Salutatio Angelica, Symbolum Apostolorum.*
12. *Denique vt summatim dicam, omnia quæ continentur in doctrina Christiana, siue Catechismo, possunt materiam præbere meditationi.*

Non malè rem attigit, qui distichi huius auctor est

Mors tua, mors Christi, fraus mundi, gloria cali.

Et dolor inferni, sunt meditando tibi.

MEDITANDVM quoque sæpe numero est: ad quem finem homo, & vniuersus terrarum orbis conditus sit: etenim hoc est totius salutis & perfectionis nostræ fundamentum.

Adhæc

Adhæc operæ pretium faciet, qui se in omnibus S. Matri Ecclesiæ conformauerit, illiusque vestigijs inhæserit: id autem consequetur:

Si Diebus solemnibus mysteria, quæ tum fideli populo proponuntur, secum expendat.

Si Festis Sanctorum, vitam, mortem, virtutes gesta eorum præclara, & gloriam, quam consecuti sunt mente reuoluat.

Si in Aduentu, Dominicæ Incarnationis mysteria consideret.

Si in Quadragesima, Euangelia quæ diebus singulis leguntur, in meditationem assumat.

Si Dominicis diebus, resurrectionem Domini & seruatoris nostri, Iesu Christi; vel vniuersalem hominum resurrectionem & beatitudinem, quæ Dominica figurat: vel diuina beneficia: vel Euangelium diei secum expendat: vel quatuor hæc puncta ita dispertiatur, vt vnoquoque mense, quaternas Dominicas continente, ea semel absoluat, singulis Dominicis singula puncta tribuendo.

H

Si

Si diebus, quibus sacra communione refectus est, de mysterijs sanctissimi huius sacramenti, vel Passionis Dominicæ, in cuius commemorationem institutum fuit, meditationem instituat.

Si Sextis ferijs, Dominicam passionem in aliquot puncta dispersitam, secum meditetur.

Si Sabbatis, de Beatissima Virgine Maria aliquid in meditationem assumpserit.

QUANDO sermoni aut exhortationi sacre interfuit, poterit eam, eodem die vel crastino secum renouendo repetere, ac meditationem de illa formare.

Religiosus, & presbyter, debent ea quæ ad vocationem, vota, regulas, statum & officium suum pertinent, frequenter meditari.

ADHÆC quisque illam virtutem sapius mente tractare debet, qua maxime indiget: illud quoque vitium, quod in se præ alijs corrigere desiderat.

Et quemadmodum corpus ea cibaria

baria avidius confectatur, sæpiusque in cibum admittit, quæ palato ipsius maximè iucunda & grata sunt: simile quoque in modum anima ea frequentius in considerationem debet assumere, & quasi illis se pascere, ex quibus maiorem capit gustum & utilitatem Etenim in spiritualibus, æquè ut in corporalibus, verum est illud medicorum pronunciatum.

Quod sapit, nutrit.

A D extremum, circa materiam meditationis tria sunt notanda.

1. Initio vniuscuiusque mensis aut hebdomadæ, magnam adhibendam esse diligentiam in prævidenda & præparanda meditationis materia, quæ in totam hebdomadam seu mensem sufficiens sit.

2. Si aliquo die contingat, iustam offerri occasionem materiæ meditationis iam constitutæ immutandæ, ut si exhortatio aut solemnitas &c: aliqua occurrat: interrumpendam esse illius diei meditationem, atque in crastinum differendam & proseguendam.

H 2 3. Quam-

3. Quamuis fit vtile de hebdomada, in hebdomadā, vel de mense in mensem, certā sibi præfinire materiā meditando, eamq; stabiliter omnibus alijs sepositis prosequi; nihilominus posse quemlibet vno eodemque die, alias quoque in meditationem materias admittere, iuxta dierū vniuscuiusque hebdomadæ numerum. Et quoniam materiæ homini Christiano præ cæteris vtiliores & magis necessariae sunt hæ: Quatuor hominis nouissima, (*mors, iudicium, Infernus, gloria cælestis*:) *Passio Dominica, peccata, diuina beneficia*: poterit eas quilibet præter alias materias, omni hebdomada semel percurrere, atque hoc ordine in meditationem assumere.

Feria 2. Meditabitur de *morte*.

3. De *iudicio*.

4. De *pænis inferni*.

5. De *gloria cælesti*.

6. De *Passione Dominica*.

Sabbatho. De *peccatis*.

Dominica, De *diuinis beneficijs*.

MO-

MODVS MEDITANDI DE
Quatuor hominis nouis-
simis.

C A P. XV.

PO S S V N T de singulis singu-
 læ, vel de vnoquoque plures fieri
 meditationes, ad meditantis libi-
 tum. Vide P. Lud. de Ponte part. 1.
 medit.

De morte hac potissimum considerari possunt.

1. Quanta incumbat hominibus moriendi necessitas.
2. Quam incertum sit, quando, ubi, & quomodo mors hominem adortura sit.
3. Quomodo in morte omnia sint deferenda.

Aliter.

1. Quæ mortem antecedunt, vti sunt *infirmities, medicina, dolores, extrema vinctio.*
2. Quæ illam comitantur, cuiusmodi sunt: *acerrimi cruciatus corpo-*

*ris, sensuum amissio, caloris natiui ab-
scensus, animi anxietates, tentationes,
visiones &c.*

3. Quæ illam subsequuntur, sepul-
tura, & iudicium animæ particulare.
Aliter.

1. Mortem esse terribilium omniū
terribilissimam.
2. Eam esse metuendam, contem-
nendam, & desiderandam.
3. Quam iustum sit, vt quisque ad
benè moriendum omni se diligen-
tia comparet.

*De iudicio hæc maximè consi-
deranda.*

1. *Signa terrificæ*, quæ nouissimum
iudicij diem præcedent.
2. *Mundi renouatio.*
3. *Omniū Adæ filiorum*, ad tubæ
sonitum excitatio & resurrectio.
4. *Maiestas iudicis*, quem tota cœ-
lestis aula circumstabit.
5. *Rationis redditio*: & librorum
conscientiæ apertio.
6. *Sententia duplex*, altera ad bo-
norum

eorum remunerationem, altera ad malorum vindictam, quarum singula verba veniunt expendenda.

7. Eiusdem duplicis sententiæ executio, quomodo & quanto tempore

*De gloria cœlesti varij sunt modi
meditandi.*

1. Considerari possunt. 1. *Locus.* 2. *persona.* 3. *Actus beatorum.*

2. Bona triplicia Beatorum. 1. *Bona animæ.* 2. *Bona corporis.* 3. *Bona extrinseca.*

3. Tres dotes siue perfectiones animæ, quæ sunt; *visio, possessio, Fruitio.*

4. Quatuor dotes siue perfectiones corporis, *Impassibilitas, claritas, Agilitas, subtilitas.*

5. *Gaudium*, quo Beatorum quisque perfruitur in singulis sensibus.

6. Mente tractari possunt septem puncta sequentia in vna vel pluribus meditationibus.

2. *Loci excellentia*, videlicet, *magnitudo; beatitudo; diuitiæ cœlestis Paradisi.*

2. *Beatitudo corporis*, quod dotatum erit quatuor eximijs qualitibus: quia erit omnino *impassibile*, *splendissimum*, *agillimum*, & vti Apostolus loquitur,) prorsus *Spirituale*, quod alia corpora solida, sine impedimento penetrare possit.

3. *Beatitudo animæ*: maxima illius sapientia, quia visura est Deum facie ad faciem, & omnia in illo amor flagrantissimus Dei & proximi; voluptas & exultatio propemodum imensa.

4. *Beatorum societas* iucundissima: nimirum Beatis. Dei genetrix *Maria*. Angeli & sancti sanctæque omnes.

5. *Actiones & exercitia* Beatorum, quæ sunt: perpetua contemplatio, gaudium, amor, conuiuia, voluptates & Dei laudes assiduæ. Magdalene ibi omnes erunt, nulla Martha, omnis exulabit exterior actio. aut mundana occupatio.

6. *Bonorum affluentia*, quæ tanta erit vt nihil adsit quod abesse, nihil absit quod adesse optes: hoc verò multo
melius

melius cognosces, si mala mundi & æternæ huius felicitatis bona inter se conferas.

7. *Aeternitas* huius beatitudinis, quæ nullo fine terminanda, sed in omne ævum duratura est.

SUNT & alij modi cælestem gloriam meditandi; Nimirum: Considerare quam ingenti voluptate & gaudio omni ex parte cumulandi sint. Nam Primo, supra se conspiciens SS. Trinitatem, Dominum & Redemptorem nostrum Iesum Christum: beatissimam Virginem Mariam Dei genitricem. Secundo, Circa se societatem optatissimam, & aulam cælestis regis magnificentissimam; Tertio, Intra se, animæ & corporis beatitudinem. Quarto, Sub se, mundum Lymbum & Infernum.

Vel Expendere secum bona singula quæ Beatis aderunt, & mala quæ aberunt, ea inter se conferendo, ut eorum contra se positione magis elucescant.

Ad damnatorum penas quod attinet: totidem sunt modi de illis me-

H 5

ditan-

ditandi, quot de gloria & foelicitate beatorum, si bona tantummodo in mala contraria commutentur.

MODI MEDITANDI DE HIS
quæ pertinent ad cognitio-
nem sui ipsius

C A P. XVI.

PRIMVS est. Considerare tem-
pus præteritum, præsens & fu-
turum, vti S. Bernardus pluri-
bus in locis ostendit dicens. Expende
tecum ô homo 1. *Quid fruëris. 2. quid
sis. 3. Quid futurus eris.* Vel Reuolue
cum animo tuo 1. *vnde venias. 2. vbi sis
3. Quo pergas.*

V E L mente pertracta 1. Qualis
fit hominis in hunc mundum *ingres-
sus* 2. Qualis ipsius *mansio*. 3. Qualis
exitus.

Secundus est. Considerare (quem-
admodum idem *lib. 2. de considera-
tione* docet:) 1. Temetipsum *quis &
qualis sis.* 2. ea quæ sub te sunt; *Lym-
bum, Purgatorium, Infernum* 3. Quæ
circa te sunt; *mundum, creaturas,*
Dia-

Diabolum. 4. Quæ supra te sunt, gloriam cœlestis Paradisi.

Tertius est. Considerare iuxta eiusdem S. Bernardi instructionem, (lib. de interiori domo cap. 65.) 1. Quid sis per naturam. 2. Quid factus fueris per culpam. 3. Quid esse debueris per virtutem. 4. Quid possis esse per Dei gratiam.

Quartus est. Considerare verba Moyfi (Deuteron. 32.) Utinã homines saperent & intelligerent: præterita: (malum commissum, bonum omis- sum, tempus perditum, IESVM CRUCIFIXUM:) præsentia: (Dei beneficia, mundi vanitatem, vitæ breuitatem, saluandi difficultatem:) ac nouissima præuiderent: (mortem, Iudicium particulare & vniuersale, Inferni tormenta, gloriam Paradisi.

Quintus est. Considerare quatuor causas hominis. 1. Efficientem, quæ est Deus à quo conditus est. 2. Materialem, id est, terram de qua corpus hominis formatum est. 3. Formalem, videlicet animam Dei imagine insignitam. 4. Finale. æternam nimirum beati-

rudinem, cuius gratia homo creatus est.

Sextus est. Considerare semetipsum iuxta diuersos status.

1. Quatenus *hominem*. 2. Quatenus *Christianum* 3. Quatenus *Religiosum, Presbyterum*, aut alio in statu existentem.

M O D I M E D I T A N D I
de Peccatis.

C A P. X V I I.

PRIMVS est. Considerare peccata propria, partim vt cognosci, partim vt verus de illis dolor & contritio haberi possit: eaque in aliquot puncta seu considerationes partiri, vt exempli causa: Meditari, I. Eorum *multitudinem*. 2. *grauitatem*. 3. *Damna* quæ adferunt. *Multitudinis* peccatorum vt exactior notitia haberi valeat, non parum proderit, totam vitam in certa aliquot tempora distribuere, & quibus in locis, & quibus cum personis peccauerimus, cogitare. Vel *peccata* commissâ cogitatione, verbo,

bo, opere, atque omiffione perpendere. Vel quibus modis, contra Deū, proximum, nosmetipfos, peccando diuinam bonitatem irritauerimus, mente tractare.

Notandum verò in peccatorum rememoracione, cauendum esse nimiam inhæfionem in memoria peccatorum carnalium, & iræ atque vindictæ.

Notandum quoque homini fpiritali perutilem esse frequentem memoriam antea actæ vitæ, ideoque non inutilem rem facturū, fi nonnunquā integrum de illa meditationem inflituat: vt plurimum verò percurrat eam meditando; quarta vnius horæ parte aut minori etiā temporis, fpatio, quòd facile factu erit, fi vniuerfam vitam fuam in totidem partes diftribuerit, in quot diuerfis locis habitauit, quemadmodum paulò poft dicemus de vita Chrifti.

SECUNDVS est: cōfiderare peccatum in femetipfo, vt odium & horror de illo concipi valeat: Meditando, 1. Quantoperè displiceat Deo,

quãque illi è diametro aduerfetur.

2. Quãto perè noceat homini illud designanti, & nonnunquam proximo: quantum animæ, corpori, honori, cæterisque bonis temporalibus.

3. Quanta detrimenta toti adferat mundo; quamque feuerè Deus in illud animaduertit, vti patet exemplo Angelorum lapforum, & ruina generis humani.

TERTIVS est: septè vitia principalia, quæ capitalia nominâtur, affumere, & singula singulis per hebdomadam diebus, methodo quæ sequitur meditari.

Die Dominico de *Superbia.*

Feria Secunda de *Auaritia.*

Tertia de *Luxuria.*

Quarta, de *Inuidia.*

Quinta, de *Gula.*

Sexta, de *Ira.*

Sabbato, de *Acedia.*

De vnoquoque tria hæc puncta possunt considerari.

1. Quãto perè vitium istud Deo displiceat.

2. Quãto perè noceat homini.

3. Quam

3. Quam sæpè Deum isto vitio, & filiabus ab eo pullulâtibus offēderim.

Possunt quoque puncta hæc duplicari considerando.

1. Quantoperè excretur Deus hoc vitium, & contrariam illius virtutem gratam habeat.

2. Quam nociuum sit homini idem vitium, & quã utilis cōtraria virtus.

3. Quam sæpè illud admiserim, & quam abfuerim & adhuc abfim à virtute opposita.

MODI MEDITANDI DE
vita Christi.

CAP. XVIII.

P R I M V S modus est: Præcipuorum illius mysteriorum ab Annunciatione Angelica, vsque ad Ascensionem Dominicam, quotidie vnum sibi meditandum assumere: quam methodum secuti sunt in meditationibus suis S. Bonaventura, Ludouicus Granatensis. Matthias de Sало Capucinus, Vincentius Brunus & præci-

præcipue P. Ludouicus de Ponte in
meditat. part. 2.

SECUNDVS est: vniuersum Chri-
sti Domini nostri vitam in septem
partes distribuere, & qualibet heb-
domada semel totam meditatio per-
currere, singulis diebus singulas par-
tes tribuendo: quemadmodum alio
in loco fecit S. Bonauentura.

TERTIVS est. Vitam Dominicã
partiri in decem partes, iuxta decem
loca quæ incolere dignatus est, & cõ-
siderare quid in vnoquoque loco e-
gerit, aut sustinuerit ptopter te.

1. *Quid in vtero matris, nouẽ mensibus.*
2. *In præsepio Bethlehemitico, qua-
draginta diebus.*
3. *In Aegypto, septem plus minus annis.*
4. *In Nazeth. Viginti duobus & am-
plius annis.*
5. *In deserto, quadraginta diebus &
totidem noctibus.*
6. *In Iudæa & Galilæa, euangelizan-
do, tribus annis cum dimidio.*
7. *In pœnis & tormentis vnica die.*
8. *In Cruce tribus horis.*

9. *In*

9. In sepulchro & lymbo quadraginta horis.

10. In terris resuscitatus, quadraginta diebus.

HOC pacto vnica hora vel dimidia posset aliquis meditando apud se recensere totam Christi vitam, singulis punctis paululum immorando, quod non paruum ei vtilitatē adfert. Posset quoque de singulis partibus singulas meditationes, aut etiā plures prout ei collibitum fuerit instituere.

QVARTVS est. Christi vitam in tres partes dispertiri, nimirum, ingressum illius in mundum, habitationem, & egressum: atque mente reuoluere, qualis fuerit eius in mundū introitus: quid in eo manens egerit, quomodo egressus fuerit: quam partitionem D. Thomas secutus est. Atque super vnaquaque harum partiū vnum vel plures meditationes formare.

QVINTVS est. Totam Christi vitam tribus alijs generalibus punctis comprehendere, quemadmodum S. Bernar-

Bernardus auctor est, considerando quid dixerit, quid egerit, quid sustinerit: Dixit multa, fecit mira, per tulit dura.

Et vnumquodque horum punctorum in vnam vel plures meditationes partiri. Nos in singulorū punctorum fusiori explicatione non immoramur, ne iusto longiores simus: cum quilibet facile per se, modo in meditationum exercitijs vel leuiter exercitatus fuerit, id agere valeat, aut si opus habet, Patris sui spiritua-
lis consilium possit exquirere.

S E X T U S est. Meditari quindecim mysteria Rosarij, & vnicuique mysterio vnam vel plures meditationes pro libitu attribuere.

S E P T I M U S est. Assumere vnum ex quatuor Euangelijs, aut concordiam aliquam quatuor Euangelicorum, siue vt vocant, Monotessaron, illudque à principio ad finem vsque meditando percurrere.

O C T A V U S est. Septem illas elegantissimas meditationes minori Catechismo Canisij sub finem inser-
tas,

tas, quarum quælibet quinque puncta continet ex Pueritia, vita, & Passione Christi desumpta frequentare.

MODI MEDITANDI PASSIONEM DOMINICAM.

CAP. XIX.

PRIMVS est. Ordini à cæna nouissima, & quotidie mysterium aliquod iuxta ordinem textus Euangelici vsque ad mortem & sepulturam Christi meditandum sibi proponere: vti fecerunt P. Lud. de Ponte part. 4. S. Bonauentura, Loartes, Costerus. & alij.

II. Passionem Dominicam in septem partes distribuere, & omni hebdomada totam meditando percurrere exemplo S. Bonauenturæ, Ludouici Granatensis & aliorum.

III. Totidem de illa meditationes formare, quot fuerunt diuersa loca, in quibus tormentorum aliquid Christus pertulit, quotidie quasi stationem vno in loco faciendo. i. In *cana-culo* in quo nouissima cæna peracta est,

est, vbi magnam in spiritu turbationem & tristitiam sensit. 2. *In horto.* 3. *Apud Annam.* 4. *Apud Caipham.* 5. *In domo Pilati.* 6. *In domo Herodis.* 7. *Iterum apud Pilatum.* 8. *In itinere ad montem Caluaria cum baiularet Crucem.* 9. *In monte Caluaria.*

IV. Meditari septem verba, quæ Christus tribus horis in Cruce pendens protulit, quæque ab omni Christiano memoriæ commendanda, ac sedulò reuoluenda essent.

1. *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.*

2. *Ad Latronem: Amen dico tibi hodie mecum eris in Paradiso.*

3. *Ad matrem: Mulier ecce filius tuus, &c.*

4. *Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me?*

5. *Sitio.*

6. *Consummatum est.*

7. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.*

V. Possent sibi aliquis ex tota Passione duodecim mysteria ad meditandum pro libitu seligere, quemadmodum

dum fecit P. Fulvius Androtius.

VI. Meditari tria pænarū genera quæ Christus pertulit, nimirū quid in anima, in corpore, in honore sustinuerit, & vnūquodq; punctum in vnā vel plures meditationes partiri: materia eorum vel ex sacris Euangeliorum libris, vel ex pio aliquo libro hac de re tractanti sumi poterit.

VII. Considerare hæc quatuor: videlicet, *quis sit, qui patitur: quali patitur: pro quibus: & quomodo;* eaque vna vel pluribus meditationibus absolueri. Possunt itē quatuor hæc considerationes, in omnibus de Dominica Passione meditationibus adhiberi. Et quamuis aliqui horum modorum, videantur potius esse puncta meditationum, sunt nihilominus etiam diuersi modi meditandi.

VIII. Possumus eandē Christi Passionem meditari varios in fines, prout diuersos ex ea affectus elicere desideramus: vti P. Ludou. de Ponte, in p. 4. *meditat.* S. Bonauentura in libello quē Stimulū amoris inscripsit, & post illum Dionys. Cartusianus, Granatensis

tensis, Loartes & alij docent.

1. Ad compatiendum Christo, si cōsideremus acerbitatem tormentorum eius.
2. Ad contritionem de peccatis cōcipiendum, si perpendamus illū pro sceleribus nostris expiandis, mortem omnium ignominiosissimam appetijisse.
3. Ad imitandum, si animo reuoluamus, Christum passum esse vt nobis relinqueret exemplum, vt sequeremur vestigia eius.
4. Ad gratias agendum, si confidemus beneficij huius magnitudinem & excellentiam.
5. Ad amandū, si mente pertractemus ineffabilem illam charitatem, quam in hoc opere nobis exhibuit.
6. Ad Spē concipiendā, si intueamur eum peccatorum nostrorum expiandorum, & salutis nostræ causa mortem suscepisse.
7. Ad admirandum si obstupescamus de immēsa illius bonitate & dilectione.

Possumus autem qualibet hebdomada

mada omnes hosce fines in confide-
randa Christi passione semel per-
currere, si quotidie vnum ex illis
nobis proponamus, vel si ad vnum-
quodque dominicæ passionis pun-
ctum, vnum vel plures ex hisce affe-
ctibus in nobis suscitemus.

MODI MEDITANDI DESA-
crofancto Eucharistiæ Sa-
cramento.

CAP. XX.

DE sacrosancto Eucharistiæ Sa-
cramento, varia possunt in me-
ditationem assumi.

I. *Historia.*

1. Quomodo videlicet Agnum Pa-
schalem cum Apostolis manducauerit.
2. Quomodo pedes illorum la-
uerit.
3. Quomodo sanctissimum hoc sa-
cramentum instituerit, & Apostolis
distribuerit.

II. *Nomina.*

Quæ sunt. *Eucharistia. Sacramen-
tum. Communis. Panis. Sacrificium.
Viaticum.*

III. *Figura.*

III. *Figura:*

Quales sunt: *Panis & vinum Melchisedech: Agnus Paschalis: Manna: Panis Helia.*

IV. *CAVSAB* propter quas Christus illud instituit.

Quarum 1. est *In memoriam sua Passionis.*

2. *Vt nobis amorem suum demonstraret.*

3. *Vt animas nostras cibaret.*

4. *Vt nobis pro sacrificio deseruiret.*

5. *Vt esset nobis pro pignore eterna beatitudinis.*

V. *EFFECTA SIVE FRVCTVS huius Sacramenti.*

PRIMO namque efficit in anima quod panis in copore: nutrit eam vitam illius conseruat, aduersus hostes roborat, gaudio & pinguedine deuotionis implet &c.

2. *Intellectum illuminat & cor inflamat.*

3. *Vnit & incorporat hominem cum Deo.*

4. *As-*

4. *Auget virtutes omnes, maximè Fidem, Spem & c.*

5. *Immutat hominem, atque alium efficit per vitæ & morum emendationem.*

6. *Reddit hominem penè de salute sua securum.*

7. *Confert illi in hac vita Dei gratiam & in futura gloriam:*

6. *Antiphona. O sacrum Conuiuium Quæ his quinque constat partibus.*

1. *ò Sacrum conuiuium.*

2. *In quo Christus sumitur.*

3. *Recolitur memoria Passionis eius.*

4. *Mens impletur gratia.*

5. *Et futura gloria nobis pignus datur.*

7. *Quatuor hæ circumstantiæ.*

1. *Quis est qui venit.*

2. *Ad quem veniat.*

3. *Quomodo veniat.*

4. *Quam ob causam veniat.*

POSSUNT quoque considerari ea quæ ad præparationem suscipientis pertinent.

Duo namque sunt necessaria ante sumptionem. *Puritas & desiderium.*

Totidem in communione. *Humilitas & charitas.* Totidem quoque post sumptionem. *Gratiarum actio, & vitæ emendatio.*

Non inutile quoque hymnum sanctissimi huius sacramenti, *Pange lingua,* secum expendere.

Vel orationem. *Deus qui nobis sub sacramento &c.*

Vel sententiam aliquam S. scripturæ: qualis est. *Caro mea verè est cibus. Panem Angelorum manducavit homo.*

Vel sumi potest materia meditationis, ex 6. cap. Ioan, vel 4. lib. de imitat Christi, vel è meditationibus P. Lud. de Ponte part. 4. & 6. vel Pinello, & alijs qui de frequenti communione scripserunt, vt *Androtio, Cacciaguerra & Madritio.*

MODI MEDITANDI DE DIVINIS BENEFICIJS.

CAP. XXI.

POSSVNT primū, omnia Dei beneficia, vna meditatione cōsiderari

rari; & quoniam innumerabilia sunt, duplex eorum catalogus fieri: quorum prior præcipua & generalia complectatur, qualia sunt 1. *Creatio*. 2. *Conseruatio*. 3. *Redemptio*. 4. *Fides*. 5. *Iustificatio*. 6. *Communio*. 7. *Vocatio ad diuinum seruitium*.

ALTER specialia, vt quod de bonis parentibus sit natus, quod optimæ complexionis, quod à multis infirmitatibus & periculis præseruatus: quem sibi quisque proprium conficere & memoriæ mandare poterit, singulaque beneficia secum non nihil ruminare.

II. DIVIDI possunt diuina beneficia multipliciter 1. In beneficia *naturæ*, *gratiæ*, & *acquisita*. 2. In beneficia *animæ*, *corporis*, & *externa*. 3. In *præterita*, *præsentia*, & *futura*.

4. In ea quæ omnibus comunia, quæ pluribus, quæ paucis, quæ nisi soli: & de vnoquoq; genere beneficiorum, vel vna, vel plures meditationes fieri.

3. Possunt prædicta beneficia generalia in septem hebdomadæ dies distribui, & quotidie vnum in medi-

tationem assumi.

4. Potest quis vnico beneficio considerando tamdiu immorari, quamdiu placuerit, & diuersa secum perpendere, maximè sequentia.

1. *Quis me beneficio isto affecerit.*

DEVS.

2. *Quid illum ad hoc permouerit, Sola ipsius bonitas.*

3. *Quam ob causam me illo ornauerit?*

Ad suum honorem & meam salutem.

4. *Quam magnum sit istud beneficium?*

5. *Quantopere illi obligatus sim rationem eiusdem beneficij?*

6. *Quam ingratus ei haecenus extiterim, & quam male hoc beneficio usus fuerim.*

7. *Quid deinceps mihi faciendū sit.*

MODI MEDITANDI DE BE-
atiss. Virgine.

CAP. XXII.

I. Potest quis meditari totam Be-
atiss-

atissimæ virginis vitam, instar vitæ Christi, ordiendo ab ipsa *Conceptione* usque ad illius *Assumptionem*: quæ admodum in 50. meditationibus suis fecit P. Fran. Costerus.

2. Considerare præcipua *mysteria* vitæ ipsius, ea videlicet quæ S. Mater Ecclesia solemniter celebrat.

3. Perpendere singula verba *salutationis Angelicæ*.

4. Illius *virtutes*, de quibus videndus *Arias de Imitatione B. Virginis*, & P. Lud. de Ponte.

5. Eiusdem *Privilegia*.

6. *Hymnum* aliquem de B. Virgine vel *sententiam* S. Scripturæ ad ipsam pertinentem.

7. *Figuras* & *Prophetias* de illa in sacris literis existentes.

MODVS MEDITANDI IN
festis Sanctorum, desumptus ex Ser-
mone S. Bernardi in vigilia

SS. Petri & Pauli

CAP. XXIII.

CONSIDERARE oportet. 1. *auxilium illius Sancti*. Quam vide-

I 3

licet

cet modo locum incolat: Quanta gloria coronatus sit: & Quale auxilium meritis ac precibus suis mihi præstare valeat.

2. *Eius exemplum.* Quomodo videlicet ad hanc gloriam peruenerit; Et quibus actionibus, laboribus, virtutibus.

3. *Meam confusionem.* Quid nimirum ego faciam? desidero ad eandem cum illo felicitatem peruenire, & tamen opera quæ ille fecit, agere detrecto.

**MODI MEDITANDI DE
virtutibus**

CAP. XXIV.

PRIMUM oportet facere Catalogum præcipuarum virtutum: Quæ sunt. *Fides spes, Charitas Dei & proximi: Timor Dei, Prudentia, Iustitia, Humilitas, Patientia, Obediëntia, Mâsuetudo, Castitas, Paupertas, Sobrietas, Misericordia, Taciturnitas, Simplicitas, Modestia, Magnanimitas, Perseuerantia.*

IN his autem virtutibus considerandis, possunt primùm plures vir-

tutes

tutes in vnam meditationem cōpin-
gi, vt, tres Theologicæ. vel 4. Cardi-
nales, vel tria Consilia Euangelica:
Castitas, Paupertas, Obedientia: & de
vnaquaque virtute, vnum meditati-
onis punctum fieri.

2. VEL possunt septē virtutes prin-
cipaliores, cuiusmodi sunt, tres The-
ologicæ & 4. Cardinales. aut quæ se-
ptem vitijs capitalibus oppositæ sunt
in septē hebdomadę dies distribui, &
quotidie vna in meditationē assumi.

3. Vel possunt omnes supradictæ
virtutes simul quotidie mente tra-
ctari, & aliæ quoque minus principa-
les superius non enumeratæ, quales
sunt: *Mundi contemptus, nihilipensio*
sui ipsius, zelus animarum, Deuotio, Di-
ligentia in diuinis obsequijs, Cōcordia,
Veritas, Fidelitas, Liberalitas, Puritas,
Gratitudo, Penitentia.

4. Vel possunt de vna virtute se-
quentia considerari.

1. Quid sit illa virtus: Exempli cau-
sa. quid sit *humilitas*, & in quo consi-
stat esse humilem.

2. Quam pulchra, excellens, utilis
& ne-

& necessaria sit hæc virtus, confiderando speciatim, quas utilitates adferat.

3. Quantopere placeat Deo, & hominẽ ea ornatũ illi acceptũ reddat.

4. Quæ exempla & monita Christus de hac virtute post se reliquerit.

5. Quam detestabilis, nocivum, & displicens Deo sit vitium contrariũ.

6. Quam ego hæcenus à virtute hac longè abfuerim, atque adhuc abfim, & quæ sit huius rei causa.

7. Quid mihi deinceps faciendum sit, id est: quæ nimirum media assumenda, quæque impedimenta vitanda, ut illum assequar.

QVINTVS modus de virtutibus meditandi, est virtutem aliquam cõsiderare in persona Christi, atq; hæc tria expendere.

1. Quibus exemplis Dei filius, ad hanc virtutem (puta, *humilitatem*) nobis præiuerit.

2. Quæ ad hanc virtutem pertinentia dixerit vel fecerit, attingendo nominatim sententias aliquas.

3. Cur ea dixerit vel fecerit? *Propter me.* Hoc

Hoc pacto posset aliquis qualibet hebdomada meditari septem principales Christi virtutes.

Dominica die. *Charitatem.*

Feria Secunda *Humilitatem.*

Tertia. *Patientiam.*

Quarta. *Obedientiam.*

Quinta. *Mansuetudinem.*

Sexta. *Paupertatem.*

Sabbato. *Castitatem.*

SEXTVS est. Meditari octo beatitudines, atque in singulis tria hæc animo reuoluere.

1. Sententiam ipsam, quæ duo continet puncta, *virtutem, & virtutis premium.*

2. Quantopere virtus hæc in Christo eluxerit.

3. Quam longè ab sim ab hac virtute, & quantum utilitatis ex ea mihi prouenturum sit, si eam possiderem.

**MODI MEDITANDI DE
Creaturis.**

C A P. XXV.

PER considerationem creatura-

I 5 rum

rum perueniri potest ad insignem aliquam Creatoris notitiam : nulla enim est creatura quantumuis parua, quæ non demonstret factoris sui potentiam, sapientiam, & bonitatem.

Quisquis igitur in vita Spirituali proficere desiderat, totum se tradere debet lectioni, maximi & pulcherrimi libri huius mundi, qui omnibus patet: atq; frequentes de ijs quæ legit meditationes instituere: quod duplici methodo fieri potest: vt, vel omnes simul huius mundi creaturæ in meditationem assumantur, vel vna tantum; vt *Cælum, terra, &c.* atque in illa, Dei potentia, sapientia & bonitas considerentur.

Assuescet quoque omni hora dum creaturam aliquam aspicit, vt *animal, florem &c.* cor suum ad Deum erigere, & secum expendere, quis illum fecerit, & quam multa in ea diuinæ potentia, sapientia, & bonitatis vestigia appareant. De omnibus autem creaturis generatim ista considerabit.

1. *Magnitudinem mundi huius,*
Creat

Creatoris magnitudinem demon-
strare.

2. *Multitudinem & varietatem re-
rum, infinitas quæ in Deo sunt per-
fectiones.*

3. *Elegantem huius mundi ordinem,
Dei sapientiam.*

4. *Vtilitates quas creaturæ nobis
præstant, Dei bonitatem.*

5. *Pulchritudinem mundi, diuinam
speciem & venustatem.*

6. *Rotunditatem, principio & fine
carentem, Dei æternitatem.*

7. *Vnitatem mundi, Dei vnitatem.*

8. *Bonorum, quæ à creaturis acci-
pimus abundantiam, Dei liberalita-
tem.*

9. *Firmitatem & constantiam mū-
di, in eodem semper situ manentis,
Dei immutabilitatem.*

De singulis creaturis speciatim
hæc secum perpendet.

1. *Illius principium quod est DEVS.*

2. *Finem cur condita fuerit, id est,
ad Dei honorem, & hominis serui-
tium.*

3. *Vnde & quomodo facta fuerit:*

4. *Qualitates & effecta eiusdem
Creaturæ.*

MODI MEDITANDI DE
perfectionibus diuinis

CAP. XXVI.

PRIMUM necesse est, earum perfectionum habere Catalogum: Et sunt autem hæc. *Essentia infinita, Potentia, Sapientia, Bonitas, Amor, misericordia, Iustitia, Prouidentia, Liberalitas, Patientia, Mansuetudo.*

DEINDE oportet nosse & cōsiderare opera & effectus, quos de hac vel illa perfectione Deus mōstrauit.

Ad quod exempla & sententiæ S. Scripturæ non parum momenti & adiuuenti adferent. Veluti ad cognoscendam Dei essentiam plurimum proderit hanc sententiam Iere. *Calum & terram ego impleo.* Et illam Pauli. *In ipso uiuimus, mouemur & sumus.*

Iere. 2.

Act. 3.

Psal. 32.

AD potentiam pertinet. *Dixit & facta sunt.*

Ac proinde meditatio hæc perfectiori-

ctioribus, atque in sacris literis & rebus spiritualibus magis exercitatis conuenit, atque iure optimo omnium meditationum excellentissima dici potest.

MODI MEDITANDI DE Oratione Dominica & sacris literis.

CAP. XXVII.

NON minus elegans quam utilis meditandi modus est, sacram literarum verba, ex ore Dei profecta, & mysterijs grauida in considerationem assumere. Optima autem illa meditandi methodus est, in singulis verbis alicuius sententiæ tam diu immorari, quam diu anima in ijs gustum & utilitatem reperire potuerit, atque sic ad alia progredi.

Quæ methodus usurpari quoque potest, in meditandis orationibus & hymnis: maximè *Oratione Dominica*, quæ à DEO immediatè composita, admiranda mysteria in se complectitur, ideoque sæpenumero in me-

ditionem assumi debet. Post illam vero, poterunt quoque frequenter considerari. *Salutatio Angelica, Salve Regina. Anima Christi. Ave maris stella. Veni sancte spiritus. Te Deum laudamus, & à Sacerdotibus Canon Missæ.*

DE EXAMINE CONSCI-
entia.

CAP. XXXVIII.

Quandoquidem examen conscientiaë præcipue in cognoscendis peccatis & defectibus, consistit, quæ cognitio est actus intellectus, non absurdum est eam inter meditationes spirituales collocare.

Habentur autem duo potissimum examina cōscientiaë, vnum *generale*, quando quis omnes suos defectus, quos cogitatione, verbo, opere aut omissione admittere potuit, inuestigat, vt vitam deinceps emendare valeat: quod ferè vespertinis horis fit, & quinque hæc puncta continet.

1. *Gratiarum actionem* pro beneficijs acceptis.

2. *Cals-*

2. *Caelestis luminis petitionem ad cognoscendos defectus emendandos.*
3. *Rationis ab anima exactionem de peccatis illo die admissis.*
4. *Venia de offensis à Deo flagitationem.*
5. *Propositum emendandæ, per Dei gratiam, vitæ. Atque sub finem adiungitur Oratio Dominica.*

Alterum *particulare*, quando quis de vno tantum defectu, quem corrigere desiderat, examinat. Praxis eius talis est.

Matutino tempore posteaquam expergefactus fuerit, firmum concipiat propositum, illum defectum eo die quam diligentissime cauendi.

Post prandium se paululum ab alijs abstrahet, atque tria hæc faciet.

1. *Rationem ab anima exiget, atque inuestigabit per singulas horas, quoties eo die in eum defectum lapsus fuerit.*
2. *Tot signa in tabula quadam annotabit.*
3. *Proponet deinceps ab eo. diligentius sibi cauere.*

PO R

Post cœnam idem faciet. Atque diem cum die, hebdomadam cum hebdomada conferet, vt videat qualem profectum fecerit, Dei que auxilium ad hoc indefinenter implorabit.

QV ID FACIENDVM SIT
ante orationem.

CAP. XXIX.

AD formæ & methodi meditando, & omnium quæ hæcenus dicta sunt perfectionem, demonstrabimus hoc loco breuiter praxim & vsum huius methodi, illamque in tres partes dispertiemur, cum vt ordinatum vt memoriæ consulatur.

Quilibet autem sibi persuadeat, quod quanto diligentius documenta hæc obseruauerit, tanto melius orationem sibi successuram esse: quæ admodum è contrario, quantum ab hisce documentis discesserit, tanto minorem progressum in ea facturum. Primum igitur ad orationem necessarium, est diligens præparatio: quod documentum ab ipsomet Deo, tum
in ve-

in veteri, tū in nouo testamento traditum est. In veteri: quando per Sapientem ait: *Ante orationem prepara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum*: quod idem est ac si dixisset; nimis magnum esse præsumptionis crimen, offerre se conspectui tremendæ Dei Maiestatis sine præparatione. In nouo: quando per filiū suum ait: *Tu autem cū oraueris intra in cubiculum tuum*, id est, ingredi te metipsum, & cordis tui habitaculum dispone.

Eccle 18.

Hæc autem diligentia & præparatio in sequentibus consistit.

I. PRIMVM oportet prænosse historiam siue mysterium, quod mente tractandum est, illiusque circumstantias, locum, personas, & reliqua huc pertinentia; etenim facti cognitio, est meditationis fundamentum: ideoque bonum esset textum prælegere, aut illius sibi memoriam refricare.

2. HABITA meditationis materia, eandē in plures particulas, quæ puncta, siue considerationes appellântur, disper-

dispertiri oportet, vt suo ordine singula in meditationem assumi valeant: tum quoque præparare necesse est, præludia & colloquia meditationi conformia, de quibus capite sequenti nonnulla dicentur.

3. Nullius propemodum utilitatis est, ad meditandum sumere meditationes ad longum descriptas, quales sunt, S. Bonaventuræ, Granatensis & aliorum: sed melius est, vt anima per semetipsam indaget quibus pascatur & reficiatur.

4. **CAVENDVM** est, ne corpore aut spiritu fatigato ad orationem quis accedat, quemadmodum fit, post nimiam lectionem aut scripturam: sed paulo ante, quam orationem auspicietur, omnia relinquet, vt vegetis viribus, & corpore optimè constituto, ad orationem possit accedere.

5. **QVARTA** vnius horæ parte ante orationem, si per diem facienda est, vel vespere præcedente, ante lecti introitum, si matutinis horis; diligenter præuidenda & memoria

man-

mandāda sunt meditationis puncta,
& reliqua eo pertinentia: imo si ne-
cesse sit, potest quis orationis tem-
pore, chartam meditationes puncta
continentem sibi ante oculos sta-
tuere, vt eorum meminisse, & suo
ordine singula in meditationem af-
sumere queat.

6. LECTVM ingressus debet ea
breuiter in memoriam sibi redige-
re: & summo mane sequentis diei,
dū expergiscitur, primā Deo Cogita-
tionem consecrare, atque inter ve-
stiendum, preces & gratiarum actio-
nes corde vel ore illi offerre, ita ta-
men, vt inter prima deuotionis exer-
citia punctorum meditationis suæ,
quam eo die factururus est, recorderetur,
atque in se ingens illius rectè facien-
dæ desiderium excitet.

7. PAVLO! antè quam meditatio-
nem ordiatur, seruare meminerit
præceptum illud Christi Saluatoris
dicentis: *Intra in cubiculum tuum, &*
clauso ostio &c: vt nimirum ingredia-
tur semetipsum, & cordis ostium
cunctis alijs cogitationibus & occu-
patio-

Matth. 6.

pationibus occludat, secumque consideret, quid & quem in finem acturus sit: & cum hac mentis recollectione meditationis horam operietur.

8. NON parum quoque confert, accedere ad orationem magno cum appetitu, id est, inflammato cum desiderio meditandi: ut quemadmodum, qui nullam cibi habent appetentiam, eandem per valida corporis exercitia, & varia ciborum condimenta prouocare fatagunt: ita quoque meditans, deuotionem in se suscitare nitatur, vel piâlectionem, vel diligenti conscientiæ examine, vel aspectu alicuius deuotæ imaginis, vel penitentiae disciplinæ aut mortificationis alicuius susceptione.

DENIQUE ut magis inflammetur, poterit ad orationem accedens cogitare, se ad ditissimam aliquant auri vel argenti venam, ex qua ingentes thesauros referre valeat, pergere.

9. POSTEA QUAM hora meditationi præstituta sonuit, aqua benedicta ad inimicum effugandum se asperget.

perget, atque ad locum in quo meditationi operam daturus est se conferet, à quo posteaquam duobus ad huc passibus abfuerit, genibus flexis, paulisper subsistet, menteque eleuata, secum perpendet ex vna quidem parte Dei magnitudinem, illiusque presentiam: ex altera verò suam vilitatem, & peccatorum suorum multitudinem, quodque nihilominus immensa illa maiestas ita se preestoleatur, vt liberum parata sit præbere accessum & audientiam.

IO. POST hæc humili ac deuoto corporis gestu, profundam illi faciet reuerentiam, & corde, vel ore S. Abrahami Patriarchæ verbis Deum alloquetur: *Loquar ad Dominum meum, cū sim vultus & cinis* Nonnunquam etiam illis S. Francisci: *Quis sum ego Domine, & quis tu.*

II. DVm ad orationem pergit, non parum adiumenti sentiet, vt in alijs rebus omnibus, si Angelo suo tutelari se commendauerit, illumque precatus fuerit, vt sibi toto orationis tempore assistere, distractionis materiam

riam fugare, suasq; preces Deo præsentare dignetur.

12. AD horum documentorū omnium obseruationem, magnam oportet adhibere diligentiam, attamen sine scrupulo, vel nimia cordis anxietate, si alicuius eorum obliuiscatur: nam sæpenumerò accidit, ijs maximè, qui in meditationis exercitio progressum aliquem fecerunt, vt sine tot præparationibus in ipso orationis exordio, ad secretiora diuini thalami introducātur. Summa est, vt ex parte nostra omnem ad hoc conferamus diligentiam, ne quicquā eorum quæ necessaria sunt, prætermittamus.

QVĪD FACIENDVM SIT ORATIONE DURANTE.

CAP. XXX.

QVĀMDIŪ orationis hora durat, quatuor necessaria sunt, nimirū Oratio præparatoria, Præludia, Puncta, Colloquia. Ordo enim cunctis in rebus necessarius est, maximè cum sacræ literæ testētur, *Dei perfecta*, id est

est, ordinata, esse opera. Vt autem prædicta intelligantur, prius nomina singula explicanda sunt.

Oratio præparatoria appellatur, breuis quædam precatio, qua in orationis & meditationis exordio, omnes animæ nostræ potentias & actiones, ad purum Dei honorem & gloriam offerimus, ab eoque gratiam, meditationem ritè perficiendi postulamus, scientes nos nihil posse ex nobismetipsis, sed omnem sufficientiam nostram ex Deo esse. Posset hic oratio vocalis *Actiones nostras*, vel alia similis, adiungi.

PRAELVDIVM est veluti præambulum quoddam, animam & intelligentiam adiuuans, vt facilius meditationem ingredi valeat. Fiunt autem post orationem præparatoriam vt plurimum, duo præludia; quæ quomodo facienda sint, vt intelligatur, notandum, materiam meditationis esse duplicem: aliam corpoream, qualis est Christi Natiuitas, aliam incorpoream siue Spiritualem, qualis est peccatum.

QV AN-

2. Cor. 3.

QVANDO materia est corporea, & visibilis. Primum Præludium est imaginari locum & personas, quasi nobis essent præsentem; exempli causa, cum volumus Natiuitatem Christi meditari, Primum Præludium debet esse, proponere ante mentis oculos stabulum, præsepe, infantem paruulum, B. Virginem. S. Iosephum &c. Et quemadmodum pictores in tabulis suis ea nobis repræsentant, ita nos quoque in imaginatione ea nobis debemus repræsentare: attamen sine violentatione capitis, etenim qui imaginatione non valent cerebro facile incommodant, cum è contrario alij magnum inde sentiant adiumentum.

QVANDO materia est spiritualis, vtendum erit hac vel simili repræsentatione, exempli gratia, imaginari animam in corpore quasi in carcere inclusam, vel hominem in hac lachrymarum valle inter bruta animantia exulantem; vel cogitare se Angelis vel dæmonibus circumdatum; vel imaginari vocem aliquam de

de cælo descenderem; vel Christum aut aliquem ex Apostolis vel Prophetis, verba, quæ in meditationem assumenda sunt, pronunciantem.

SECUNDVM Præludium est, petere à Deo gratiam assequendi finem quæ in meditatione habemus propositum: videlicet dolorẽ de peccatis: Dei amorẽ, sui ipsius cognitionẽ, vel alium meditationi conuenientem.

Colloquium & oratio, si nomen orationis propriè sumatur, idem sunt, nihil enim aliud notant, quam sermocinationem cum Deo, vti supra dictum est. Meditationi omni siue contemplationi, necesse est orationem aliquam siue colloquium cum Deo subiungere, in qua illi gratiæ agantur; peccatorum dimissio, virtutũ augmentum, aliaque nobis necessaria petantur, atque vt verbo dicam, omnia quæ superius de gratiarum actione, petitione, oblatione &c. dicta sunt, peragantur; hoc tantum loco tria hæc adiiciam, quomodo nimirum facienda sint colloquia, quoties, & quando.

K

AD

AD *Primum* quod attinet, præter illa, quæ superiori loco de methodo gratias agendi, petendi, & offerendi, quibus rebus colloquium fere continetur, dicta sunt: nota primum, omnia hæc fieri oportere mentaliter, quamuis subiungi possit aliqua vocalis oratio meditationi congrua imo vt plurimum, ad orationis finem adijci debeat Diuina illa Christi Saluatoris oratio, per quam omnia quæ peti aut desiderari possunt, à Deo postulantur: veruntamen tractim & morosè dicenda est.

2. Vt Colloquium rectè fiat, non parum proderit, loqui Deo nonnunquam, vt filius patri, aliquando, vt discipulus magistro, seruus domino, subditus Regi: nonnunquam, vt sponsa sponso, pauper diuiti, reus iudici, infirmus medico, &c. atque assumere personam vel filij prodigi, vel cæci, claudi, aut alia infirmitate læguētis, vel proditoris, latronis, rebellis &c.

3. NON absre quoque est in colloquiis dialogum mentalem instituere, atq; introducere Deum Patrem
ani-

animam alloquentem, & animam illi respondentem.

AD *Secundum* quod attinet, potest fieri vel vnum tantummodo colloquium, ad Deum Patrem, aut Christum Salvatorem: vel plura ad libitum meditantis; atque vt exemplo rem demonstrem, tria hac methodo institui poterunt colloquia, Primum dirigetur ad Beatissimam Virginem, quam rogabimus, vt cupitam gratiam, & alia necessaria nobis impetret, quod vbi mentaliter postulauerimus, adijci poterit Angelica salutatio. Secundum ad Christum, quatenus homo & mediator, quem suppliciter mente obtestabimur, vt eandem nobis gratiam obtineat, simulque adiungemus orationem vocalem: *Anima Christi*, vel aliam similem. Tertium ad Deum Patrem, quem obsecrabimus per merita & intercessionem Filij, & Matris, vt nobis petita largiatur, sub finem addemus orationem Dominicam.

AD *Tertium* quod spectat, proprius locus Colloquiorum est sub finem medita-

K 2 tio-

tionis, ita vt nunquam, sine huiusmodi colloquio, à meditationis loco recedatur; quamuis in ipso quoque meditationis decursu, post vnumquodque punctum aut considerationem, animâ ad desiderium alicuius rei inflammata, fieri possit. Nec obstat, quin parua meditationibus colloquia interijci possint, tum ad continuandam facilius attentionem tum ad distractiones repellendas: dico parua, quia si longiora sunt, meditationem impediunt: quamuis si Spiritu Sanctu dictante fiant, non possint non esse bona: atque idcirco nonnullos totum tempus orationis & meditationis, instar colloquij transigere cernimus.

*QVÆ CONSIDERANDA
sint super punctis meditationum.*

C A P. XXXI.

ABSOLVTIS ijs quæ oratione & meditationem præcedunt & comitantur: nunc paucis annotabimus, quæ super singulis punctis consideranda sint: nam hic plurimi hærent

hærent, ignorantes quid meditando cogitare debeant. Vt igitur illis prospiciamus, materiamque & methodum meditationem continuandi, & in illa progressum aliquem faciendi tradamus, subiungemus, hoc loco considerationes aliquot, quæ in omni re, qualiscunque illa sit, ad usum adhiberi possint.

NOTANDVM igitur materiam meditationis vel esse corpoream, vel spiritualem. Si corporea est, vti sunt omnia mysteria virgæ Christi, super vnoquoque puncto considerari possunt hæ circumstantiæ.

1. Personæ mysterio præsentēs, quales sunt, Christus Saluator, Beatissima Virgo, Angelus Gabriel, Apostoli: illorumque qualitates, virtutes, excellentiæ & officia.

2. Quos inter se sermones miscuerint, vel si verba illorum scriptis consignata non extent, quos probabiliter miscere potuerint.

3. Quid egerint.

4. Quem in finem, & quam ob causam id fecerint.

K 3

5. Quid

5. Quæ inde effecta, aut utilitates
prouenerint.

6. Possunt quoque expendi cogita-
tiones & affectiones, quas eedē per-
sonæ habuerunt, aut habere potue-
runt. Si materia est Spiritualis, hæc
sunt consideranda.

1. Quid sit res illa, quæ puncto con-
tinetur.

2. Quæ ipsius origo & causa effi-
ciens.

3. Quem in finem facta fuerit.

4. Quas utilitates & detrimenta ad-
ferat.

5. Quid Christus de illa dixerit, vel
fecerit.

6. Quomodo hactenus circa illam
me habuerim.

7. Quid mihi deinceps faciendum
sit.

8. Bonum quoque est considerare
nomen, vel diuersa nomina eiusdem
rei.

9. Et sententiam aliquam sacrę scri-
pturæ ad eam pertinentem.

Vides quam abundans materia
meditationi continuandæ suppetat;
modo

modò puncta hæc memoriæ commendentur, & ad vsum conuertantur.

Notandum nihilominus, non semper omnes hæc cōsiderationes adhibendas, neque eundem ordinem seruandum esse, sed ei cōsiderationi diutius inhærendum, in qua anima copiosius inuenit nutrimentum.

DE COMPOSITIONE CORPORIS.

CAP. XXXII.

EST & aliud quiddam hic sciendum & explicandum, videlicet compositio corporis, circa quam hæc potissimum notanda veniunt.

1. Parum referre, quo corporis situ, in oratione & meditatione quis sit, siue sedēs, siue iacēs, siue genubus flexis, siue innixus, siue prostratus, siue manibus instar crucis plicatis; sola ambulatio meditationi hand quaquam conuenit, sed potius præparationi eam antecedenti, vel examinationi eam consequenti.

2. Qualiscunq; corporis situs teneatur, necesse est magnâ in corde seruari reuerentiâ, ac semper recordari, nos in præsentia Dei cõstitutos esse, ideoq; cauendum, ne aliquid quod haud quaquã deceat, cõmittamus. Et quamuis maior requiratur reuerentia in actibus voluntatis, quam in actibus intellectus, id est, in colloquio & oratione, quam meditatione: nihilominus condecens est, vt in meditatione quoq; reuerentiæ, quam tantæ maiestati debemus, non obliuiscamur: ac proinde si sessionem elegerimus, capite detecto, si sanitas patiatur, manere oportebit.

3. Meditatio: vt plurimum à genuflexione aut prostratione, cum omni reuerentia auspicanda est, posteaquã verò incepta est, corpus in eo situ tenendũ erit, vt nullam sentiat molestiam, & oratio suauiter continuari valeat.

4. Ad oculos quod attinet, in oratione ac meditatione claudendi, vel in certo aliquo obiecto sine vaga motione, stabiliendi sunt.

Om -

Omniſus hiſce præſuppoſitis, tota meditando praxiſ hæc eſt. Genubus flexis, aut corpore proſtrato poſt ſignum S. Crucis fronti impreſſum, oratio præparatoria cum magna ſui ipſius diffidentia, atq; in Deum confidentia eſt auſpicanda. Deinde ſubiungenda Præſludia. Poſt hæc aſſumendum erit primum meditationis punctum, in eoq; tam diu immorandum, quam diu anima inuenit, quod conſideret, & ex quo utilitatem capiat: mox progrediendum ad ſecundum, & tertium &c. atque in ſingulis idem faciendum. Meditatione finita, vel hora euoluta, inſtituendum erit unum vel plura colloquia, & recitatione unius orationis Dominicæ, meditationi finis imponendus.

Et quoniam maxima huius negotij difficultas conſiſtit in conſideratione punctorum, ut meditando hac de re accuratius inſtruatur, adiungemus nonnulla documenta, quæ circa meditationem obſervanda ſunt.

K §

ALIA

ALIA QVAEDAM DOCV.
menta ad meditationem per-
tinentia.

CAP. XXXIII.

P R I M V M. fit. Si eueniat, vti sa-
pissime accidit, vt in meditati-
one primi vel Secūdi puncti a-
nima copiosam inueniat considera-
tionis & profectus materiam, non
esse festinandum ad reliqua puncta,
sed eidem tamdiu immorandum,
quamdiu neces. è fuerit, etiamsi ho-
ra meditationi præstituta, in vnius
duntaxat puncti consideratione ela-
batur: tātummodo curandum, vt to-
ta meditatio colloquio finiatur.

II. Non est. subsistendū in sola cō-
sideratione & cognitione rerum, sed
vltra progrediendum, & permouen-
dam atque inflammandam esse volū-
tatem, vt fiat quod Propheta regius
dicit. *In meditatione mea exardescet
ignis.* Affectus autem, qui in volunta-
te inter meditandum excitandi, sunt
hi: amor, timor, tristitia, gaudium,
spes,

Psal. 38

ORAND. ET MEDIY. •

Spes, desiderium, admiratio, cōfusio
sui ipsius: Itaque meditationē oportet
non esse aridam, neque in pura
speculatione sistentem, sed affectuosa
& plenam interioris gustus: ita
ut ex vnoquoque puncto considera-
to, fructus aliquis eliciatur, medi-
tatione ex his quæ percipit, reflexio-
nem aliquam ad semetipsum faciat,
& ea quæ Spiritu sancto inspirante
in oratione discit, exequi proponat.

III. Ad rectè meditandum plu-
rimum adiumenti adferunt senten-
tiæ sacrarum literarum: ut propterea
non inutilem rem meditans factu-
rus sit, si de materia quam meditati-
urus est, præparatam habeat vnam vel
alteram insignem S. Scripturæ senten-
tiam, ut si de sui ipsius cognitione &
hominis miseris meditatio futura
sit, proderit considerare illud dictū *Iob. 14.*
S. Iob. *Homo natus de muliere &c:* vel
si de amore Dei erga hominem, utile
erit hanc Christi Seruatoris senten-
tiam expendere. *Sic Deus dilexit* *Ioan. 3.*
mundum &c:

IV. Similitudines quoque medi-
dita-

tationem vehementer promouent;
quia visibilia huius mundi ad cogni-
tionē inuisibilium & spiritualium,
nos per ducunt; exempli causa:

Si considerata sint gaudia cæle-
stis gloriæ, proderit similitudo ex
cōiuijs, nuptijs, diuitijs, honoribus
& voluptatibus mundi huius de-
sumpta. Similiter si contemplanda
sint Inferni supplicia, conferet non
parum, grauissima huius mundi ma-
la & supplicia, ante oculos propo-
sita &c.

applicatio sensuum.

QVINTVM documentum spe-
ctat ad sensuum applicationem, quæ
meditationem mirum in modum ad-
iuuat, sed locum tantummodo inue-
nit in meditationibus, materiã cor-
poream habentibus. Sensus igitur
inter meditandum applicare, nihil
aliud est, quam imaginari nos, vide-
re, audire, odorari, gustare, & tãgere
spiritualiter personas in meditatio-
ne contentas, illorũ vestimenta, ve-
stigia, & omnia ad illos pertinentia,
attamen omnium cum humilitate ac re-
ueren-

uerentia. Hæc autem applicatio sensuum fit ferè separatim à meditatione, & alia hora, vel si eadem fiat, meditatione & intellectus ratiocinatione finita, vsurpanda erit.

Est & alia species applicationis sensuum, quæ nihil aliud est, quam cõsiderare, exempli gratia, quid Christus Seruator noster in vnoquoque sensuum pertulerit: vel quantũ gaudium & voluptatem Beatiss. Virgo Maria, de Christo Domino nostro per sensus acceperit, illum intuen- do, tangendo, audiendo, &c. Considerare quoque, quæ gaudia Beati in cælis, & quæ supplicia damnati in Inferno, in quinque sensibus exper- turi sint.

REMEDIA CONTRA DI-
stractiones.

CAP. XXXIV.

SEXTVM pertinet ad distractio-
nes meditati superuenientes, & *Eccles. 10.*
suauitatem vnguenti tanquam mu-
scæ mortuæ corrumpentes, quarum

κ 7 nosse

nosse oportet remedia. Ad repellendas igitur hasce distractiones, primū sit remedium, ad meditationem, ut dictum est, quam diligentissimè se præparare; Deo & Angelo custodi se commendare, eorumque auxilium in euagationibus mentis reprimentis, postulare.

2. Quādoquidem meditatio distractioni magis subiecta est, quā oratio, remedio erit considerationem, quæ est actus intellectus, non nimis diu continuare, sed ad vnāquamq; considerationē, breuem aliquā precem, siue colloquium adijcere.

Sunt & alij modi distractiones animū iam ingressas, repellendi, quarum primus est, magnam adhibere diligentiam in ijs, quam primū mentem subeunt, reijciendis.

2. Humiliter à Deo veniam precari, quòd tam facilè dorsum ei obuertimus.

3. Si distractio redeat, nec vlla contentione abscedere velit, cauendum ne nimis impatienter, & molestè id feramus, cum ea ad peccatum haudqua-

qua-

quaquam nobis imputetur, si contra voluntatem veniat; sed potius meriti materiam præbeat.

4. Humiliari & erubescere vehementer, de paupertate, imbecillitate, & miseria nostra, quod à nobismetipsis nihil boni possimus, adeoque indignos nos existimare, qui cū Deo loquamur, vel in ipsius præsentia consistamus.

5. Commendare se B. Virgini, Angelo tutelari, & Sanctis Patronis.

6. Orationem aliquam vocalē devote recitare, verba singula diligenter ruminando, & quando meditationem propter nimias distractiones continuare non valemus, sola prece vocali contentos esse: quemadmodū, qui panem triticeum habere nō potest, pane siligine, vel hordeaceo contentus est.

7. Nonnunquam, ne tempus in cōflictu aduersum importunas hæc cogitationes, omnino perdat, poterit meditans librum aliquem spiritualem, qualis esse potest Libellus de imitatione Christi, assumere, & o-
ratio-

rationem cum meditatione mixtam, instituire: legendo vnam periodum vel sententiam, atque illā paulisper considerando, ac deinde orationem aliquam vocalem, siue mentalē, vel vtramque subiungendo, sicq; de vna periodo ad aliam transeundo.

8. Propter nullam omnino distractionem siue molestiam, quæ occurrere potest, dimittēda est oratio, vel tempus præstitutum abbreviandum, quod malignus hostis totis viribus efficere nititur: imo bonum esset orationem, vltra horam meditationi statutam, tunc extendere, partim vt nosmetipsos, partim vt hostem nostrum superemus.

Ec. 7.

Quod agēdo, verificabitur in nobis illud dictum Sapientis, *Melior est finis orationis, quam principium*, quibus verbis promittitur, eum qui in oratione pro amore Dei se mortificat, sine cōsolatione, vel vt minimū sine magno merito, ab ea non recessurū.

S E P T I M V M pertinet ad repetitionem, quia expedit, & quandoque necessarium est, bis terue vnam eandem-

demq; meditationē repetere. Quod duplici de causa fit, vel quia in prima meditatione, magnum quis ex ea fructum & consolationem tulit, atque repetendo maiorem laturus est; vel quia eam prius penetrare nequirit, & rediens, atque secundò, tertio, & quartò pulsans, forsitan egressum merebitur, iuxta illud Saluatoris: *Pulsate, & aperietur vobis.* Adde *Marci. 7.* quod per has repetitiones sacra mysteria animis nostris melius imprimuntur, atque intellectus noster ad meditandū expeditior redditur. Potest autem repetitio hæc tribus modis fieri, vt vel integra meditatio, vel aliquod illius punctum antea nõ satis expensum, vel binæ aut ternæ simul meditationes repetantur, atque in illis tãtummodo punctis mora fiat, in quibus meditans maiorem gustum reperit, vel quæ non satis penetrare quirit,



QVID

QVIVD FACTV OPVS SIT
in desolatione, siue ariditate
spirituali.

CAP. XXXV.

OCTAVVM eò spectat, vt noue-
rit meditans, quomodo aridita-
tis tempore se habere debeat. Vbi no-
tandum est, vitam spiritualement, quã-
uis vt plurimum dulcedine & volu-
ptate spiritus plena sit, respectu eorũ
qui totis viribus Deo seruire sata-
gunt, nihilominus desolationi non-
nunquam subiectum esse; qua animũ
occupante, homo efficitur aridus, ac
omni sensibili deuotione spoliatus,
orationem ac meditationem respuit.
Existens igitur in tali statu, primum
cauebit, ne animum abiciat, sed fir-
ma cum spe & fiducia Dei benignita-
tem præstoletur, qui, Tobia dicente,
post tempestatem tranquillum facit.
2. Patienter sustineat, & cũ S. Iob,
dicat: *Si bona suscepimus de manu
Dei, mala quare non sustineamus.*
3. Humiliet se coram Deo, quan-
do-

Tob. 3.

Iob. 2.

doquidem videt se absque Dei auxilio nihil posse; persuadeat sibi quoque, peccatorum suorum causa id evenisse, illorūque veniam à Deo humiliter postulet. Vti etiam poterit, alijs medijs ad devotionem perditam recuperandā facientibus, quæ sunt sequentia.

4. Quartum igitur remedium in desolatione sit, assumere pænitentiam aliquam, siue mortificationem corporalem.

5. Examinare solito diligētius conscientiam, ut tollatur causa mali.

6. Diligentissimis precibus Deo, B. Virgini, Angelo tutelari &c. se commendare. Cauendū verò, ne tēpestatis tempore, bonum aliquod opus, quod antea consueuimus, aut decreuimus agere, omittamus, vel nosmetipsos & propriam delectationem quæramus, sed merum & purum Dei honorem & beneplacitum

(:)

QVID

QUID FACIENDVM SIT
post orationem.

CAP. XXXVI.

1. **O**RATIONE absoluta faciendum est è vestigio examen particulare, de eadem ratione vel meditatione, hac methodo. Sedēdo vel suauiter ambulando, considerabis per quartam vnius horæ partem, quomodo oratio successerit, benè an malè: si benè, gratias ages diuinæ bonitati, teque humiliabis, & agnosces id tuum non esse, sed à Deo proficisci: si malè, veniam ab eo flagitabis.
2. Deinde causas inquires, vnde id prouenerit, & considerabis singulatim, quomodo & qua cum diligētia, omnia quæ seruare oportuit, perferis, & qua in re officio tuo defueris, firmumq; propositum, deinceps ea diligentius obseruandi, facies.
3. Retinebis mente fructum aliquem, quē in oratione Deus tibi comunicauit, vt eum ad profectum tuum conuertas.
4. Totius diei negotia breuiter & sapi-

sapienter dispones, & bona quædã
proposita, quæ Deus tibi inspiraue-
rit, concipies.

II. Si post orationem vel meditati-
onem punctum aliquod utile, quod
iucur meditandum vel receperis vel
cognoueris, scriptis mandare volu-
eris, vt eo postea ad tuam vel proxi-
mi vtilitatem vti valeas, id non mo-
do liberũ erit, verum etiã laudabile.

3. Nonnunquam ante prandium,
aliquando ante cœnã, meminisse o-
portet matutinæ meditationis gene-
rãtim, maximè puncti illius, quod
in memoria reconditum fuit, illudq;
paulisper ruminando, deuotionem
renouare, atq; illud Prophetæ adim-
plere. *Reliquia cogitationis diem festũ*
agent tibi. Psal. 75

4. Bona proposita matutino tem-
pore facta in opus conferenda sunt,
ideoque in omnes illorum perficiẽ-
dorum occasiones nos intentos esse,
aut eas procurare oportet. Etenim
is est præcipuus orationis noster fi-
nis & fructus.

5. Opera danda est vt per diẽ col-
lecti,

L

lecti,

lecti, atque in continua deuotione
 maneamus, ab omni distractione,
 quoad fieri potest caueamus, nec Dei
 vlllo vnquã tempore obliuiscamur,
 sed cum Propheta omni loco, corde,
 & ore dicamus. *Prouidebam Dominũ
 in conspectu meo semper.*

Psal. 10.

6. Ad extremum, vt omnia quæ ha-
 ctenus dicta sunt, cõcludamus: Quis-
 quis in sancto hoc orationis & me-
 ditationis exercitio, profectum ali-
 quem insignem facere desiderat, bis
 in hebdomada, super his quæ ad ora-
 tionem pertinent, quandoquidem
 maximi momenti tota res est, dili-
 gens examen instituet. Examinabit i-
 gitur, quomodo meditatio succe-
 dat, an profectum aliquem in ea fa-
 ciat, an impedimentum sentiat, & al-
 lia his similia. Vnamque hebdoma-
 dam cum altera, & mensem vnum
 cum altero conferet. Vt verò examẽ
 hoc ritè fiat, oportebit certe dies &
 horas, quibus illud instituendum sit
 determinare, exempli causa, Feriam
 quartam & Sabbatum, post orationẽ
 matutinam, vel cœnam vespertinam.

Possent

Possent proculdubio plura huc
adijci, ad hanc materiam spectantia,
sed nostræ intentionis non est inte-
grum volumen contexere, verum
summa cum breuitate, quæ ad praxin
orationis maximè vtilia & necessa-
ria futura essent, annotare.

Si autem quis fusiorem harum re-
rum tractationem requirat R. P.
Ludouicum de Ponte, Granaten-
sem & alios, qui de illis
latius scripserunt,
consulat.

F I N I S.



Oratio ad Christum.

Cuius superius facta mentio.

A Nima Christi sanctifica me:
Corpus Christi salua me:
Sanguis Christi inebria me:
Aqua lateris Christi laua me:
Passio Christi conforta me:
O bone IESU, exaudi me:
Intra tua vulnera absconde me:
Ne permittas me separari à te:
Ab hoste maligno defende me:
In hora mortis meae voca me:
Iube me venire ad te,
Ut cum Sanctis, & Angelis tuis laudem
te,
In secula seculorum, Amen.

Laus Deo, Virginique Mariae.

INDEX

I N D E X

R E R V M P R A E
C I P V A R V M I N T R A
C T A T V D E P E R F E
tione religiosa.

Q uia S.S. Patrib. de Perfectione re- ligiosa scripserint	pag. 1.
Religiosi nomina	p. 9.
I. Documentum. Religiosum perfectionem suam magni aestimare debere	p. 14
II. Document. Religiosus deuotioni ad- dictus sit.	p. 16
Religiosi oratio pro perseverantia.	20
Contemplatio.	21
Examen Conscientia.	ibid.
Recollectio sui ipsius.	22
Sacramenta.	23
Lectio spiritualis.	24
III. Docum. Religiosus virtutis & perfe- ctionis amans esse debet.	26
IV. Votorum & regularum exactus sit ob- seruator.	29
V. Poenitentia & mortificationis amator.	32
VI. Erga omnes ita se gerat, ut unicuique quod suum est, tribuat.	36
VII. Temporis diligentem habeat ratio- nem.	39
VIII. A quibus sibi cauere debeat.	40.
IX. Patrem habeat spiritualem.	42
	X. Vota

I N D E X

<i>x. Vota saepe renouet.</i>	45
<i>Religiosus ita se omni die gerat, quasi primum inciperet</i>	49
<i>Puncta, confessionem generalem confessionem facientib. obseruanda.</i>	51
<i>Methodus preparandi se ad professionem faciendam.</i>	52
<i>Meditationes de beneficio vocationis.</i>	55
<i>Meditat. I. de votis.</i>	56
<i>Secunda. 57.</i>	Tertia. 58
<i>Quid agendum post professionem.</i>	61
<i>Quae Religioso sint saepius meditanda.</i>	63
<i>Regula ordinis, qua methodo in meditationem assumenda.</i>	68
<i>Methodus acquirendi virtutes.</i>	69
<i>Epistola S. Thome, de modo acquirendi sapientiam.</i>	73
<i>Bina iregula S. Bernardi, ad religiosam perfectionem acquirendam.</i>	75



I N D E X
RERVM IN TRACTATV DE MODO
RECTE ORANDI ET
meditandi.

Cap. 1. Instructio breuis & accurata de vera recte orandi & meditandi methodo.	pag. 83
Cap. 2. Oratio, & meditatio quid, & quae illius species.	86
Cap. 3. Recte oraturo & meditatur, quae seruanda & quae fugienda sint.	93
Tempus. 94. Locus 97. Contritio & casti- gatio corporis, 99. Abstinentia.	100
Silentium & custodia sensuum.	101
Solitudo, recollectio, Orationes Iaculat.	102
Occupationes 103. Pax interior.	104
Lectio Spiritualis. 105. Discretio.	108
Simplicitas 107. Collatio cum alijs.	108.
Cap. IV. Quomodo instituenda mentalis o- ratio.	110
Cap. V. Quomodo reddenda Deo gratia.	111
Cap. VI. De petitione.	112
Catalogus petitionum specialium.	113
Cap. VII. Quarum rerum petenda sit re- missio.	114
Pro quibus orandum.	115
Catalogus Patronorum, qui orandi sint.	117
Quomodo oporteat orare.	118
	Quid.

I N D E X


<i>Quid debeamus offerre, & quomodo.</i>	119
<i>Cap. v III. De oratione mixta.</i>	120
<i>Cap. IX. De oratione vocali</i>	123
<i>Cap. X. De Rosario.</i>	127
<i>Mysteria Rosarij.</i>	128
<i>Alius modus recitandi rosarium.</i>	130
<i>Cap. XI. De orationibus laculatorijs.</i>	132
<i>Cap. XII. De lectione spirituali.</i>	133
<i>Cap. XIII. Catalog. librum spiritual.</i>	139
<i>Libri religiosi maxime utiles in lib. de perfect. Doct. 2.</i>	24
<i>Cap. XIV. De Meditatione.</i>	143
<i>Materia meditationum.</i>	ibid.
<i>Cap. XV. Modus meditandi & nouissima.</i>	149.
<i>De morte. ibid.</i>	De Iudicio. 150
<i>De gloria cœlesti.</i>	151
<i>Cap. XVI. De cognitione sui ipsius</i>	154
<i>Cap. XVII. De peccatis.</i>	156
<i>Cap. XVIII. De Vita Christi:</i>	159
<i>Cap. XIX. Modi meditandi passionem Dominicam.</i>	163
<i>Cap. XX. De Eucharistia Sacramento:</i>	167.
<i>V. Eff. cta huius sacramenti.</i>	168
<i>Cap. XXI. De Diuinis beneficijs</i>	172
<i>Cap. XXII. De Beatissima Virgine.</i>	170
<i>Cap. XXIII. In festis Sanctorum.</i>	173
<i>Cap. XXIV. De virtutibus.</i>	174
<i>Cap. XXV. De Creaturis.</i>	177
	Cap.


I N D E X


- 119 Cap. xxvi. De perfectionibus Diuinis. 180
20 Cap. xxvii. De Oratione Dominica, &
123 Sacris litteris 181
127 Cap. xxviii. De Examine Conscientia. 182
128 Cap. xxix. Quid faciendum ante oratio-
130 nem. 184
132 Cap. xxx. Quid faciendum durante ora-
133 tione. 190
139 Cap. xxxi. Qua consideranda sint super
er- punctis meditationum. 196
24 Cap. xxxii. De compositione corporis. 199
143 Cap. xxxiii. Alia documenta ad medita-
bid. tionem pertinentia. 202
ma. Cap. xxxiv. Remedia contra distractiones.
205.
150 Cap. xxxv. Quid factu opus in ariditate
151 spirituali. 210
154 Cap. xxxvi. Quid faciendum post oratio-
156 nem. 212
159
160
163
167
168
172
170
173
174
177
179


F I N I S.


























Balsamonis
instructio de
fectu salutis
modo

~~in~~
~~in~~
~~in~~

Th

2854